

1725.

1. Bauerus, Ioh. Gottlieb: De donacionibus inter conjuges sexuicos modo concurred cretiorum invalidis. secundum Edicis reg. 16 Bancue rupcionibus §15.
2. ⁼ Bauerus, Ioh. Gottlieb: De concubita matris suorum perfectione ante copulam sacerdotalem. 1725. 1727.
3. Consalvi, Franciscus Corlus: De dñis hereditatis ex testamento apud Romanos.
4. Crelles, Christoph Ludovicus: De actione reali, quae res immobilia petitor, et subterfugientium omnes satisfactionis actori profutura.
5. Tacenerus, Carolus Matthaeus: De particulari praeclaram rusticorum alienatione.
6. Tacenerus, Carolus Matthaeus: De fideicommisso nuncupativo nivis solenni occas 1. II. 1727. de fidere.

1728-

7. Van der Kelen, Gulielm W. Tholensis : De debitore die soli
honi destinato in periclos obsoletas incertitudo solvere
abstricto.

8. Gebauerus, Georgius Christianus : Problema iuris fu-
dalio de iure rebus di ius generalium consenserunt simul
lance investiti in alienationem fundi extinto.

9^o.⁸ Gebauerus, Georgius Christianus : Rebus, quod in jure
dicti potest vacuum. 2 Sept. 1725. 1739.

10. Hayme, Thomas : Quamdi non vivere presumatur?
Programma, quo . . . collegia sua offert.

11. Haerter, Abraham : In usus, quod consentit marito
testanti, portionis statulariae sine curatore renunci-
re possit? Programma, quo collegia sua aestiva
intimat.

12. Haerter, Abraham : De usu pratico brucardici:
Omne, quod solo inactificator, solo cedit. . . Pro-
gramma, quo . . . collegia sua hiberna intinat.

1728

13. Knoblauch, Ab. Corporis : De hepaticelle
13. Etymologiae Michaelis: Progymna, quo pauperrim med. Antivirii
14. Knoblauch, Fructus in Art. Rer. des Alexander: De palmario et rea.

les promissos.

15. Lichtenberg, Ab. Christopherus: De masticatione.
16. Menetius, Luciferus, Far. jas. ordinarius: Progymna,
quo ad ventilationem publicam disputationum XXXI
controversiarum selectarum juris naturalis
institutus.
17. Menckhausen, Luciferus: Commentatio ad tit. Col. de
mathematicis maleficiis et ceteris vniuersitatis
18. Mylius, Gustavus Henricus: De pueris infirmitatibus
occassoribus dispositionis in bello pro. Soc. recogn.
ad hst. 11. Von der Grußcontestation § 2 et 3
19. Mearius, Dr. Fiducius: De privilegio dotis repell.
harroris et cessionarii
20. Mearius, Dr. Fiducius: De culpa ex tempore nolu.
Ita & J. nootv'ny. ~~ex~~ deces. 1.36 Y. d. e. j.

396

1725, 2^a 18.

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
CONCVBITV MATRIMONII
PERFECTIONE ANTE COPVLAM
SACERDOTALEM,
QVAM
EX DECRETO ET AVTORITATE
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS
IN INCLYTA
LIPSIENSIVM ACADEMIA
P R Æ S I D E
DN. IOH. GODOFREDO BAVERO,
I. V. D. ET PRACT.
D. XVI. FEBRVAR. MDCCXXV.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT
A. & R.
IOH. EHRENFRIED KIRSTEN,
WVRCENSIS.

L I P S I A E,
LITTERIS IMMANUELIS TITII.

Abg. 6a

121

DIGESTA LITERARIA
CENSUS
BIBLIOTHECA ACADEMICA
SOCIETATIS
LITERARUM
HISTORICARUM
THEATRUM
COPERTORIUM BAVARE
LIBRARIA
EX LIBRIS
122

122

VIRIS
SVMME REVERENDIS, PER-ILLV-
STRIBVS, GENEROSISSIMIS, EXCELLENTISSI-
MIS, CONSULTISSIMISQUE
DOMINIS
PRAEPOSITO
VICE-PRAEPOSITI
DECANO, SENIORI
ET
CANONICIS
REVERENDISSIMI CAPITVLI
WVRCENSIS
DOMINIS MEIS GRATIOSIS,
PATRONIS AC PROMOTORIBVS MEIS
OMNI VENERATIONIS CVLTV AETATEM
SVSPICIENDIS,

PRIMITIAS HAS IVRIDICAS
IN
DEVOTI ANIMI SIGNIFICATIONEM
INTER
ARDENTISSIMAS
PERPETVAE ATQVE OMNIGENAE
FELICITATIS
APPRECIATIONES
TANTORVM NOMINVM
PATROCINIO PRAESIDEOQVE
ME TOTVM, RESQVE MEAS, ET STVDIA
QUALIACVNQVE
TRADENS
EA, QVA PAR EST
RELIGIONE ATQVE OBSERVANTIA
SACRAS ESSE CVPIO
OBSEQVIOSISSIMVS CLIENS
IOH. EHRENFRIED KIRSTEN,
WVRCENSIS.



DE
CONCVBITV MATRIMONII
PERFECTIONE ANTE COPVLAM
SACERDOTALEM.

§. I.



Vo magis inter nos cognitionem *Inclinatio ad conjugium maxime naturalis est.* quandam natura constituit, unde consequens est, hominem homini insidiari, nefas esse, ut verbis utar FLORENT. Jcti in l. 3. d. Just. & Jur. dum quilibet potius ordinato naturæ instinctu eo abducitur, ut ad societatem, quam cum aliis init, conservandam omnem moveat lapidem: eo major sane cognatio & consociatio in conjugio deprehendatur, necesse est; quem coëundi appetitum natura non poterat non societatis humanæ conservandæ causa & quo genus humanum continuaretur, omnibus hominibus ingnoscere. Nov. 22. præfau. Imo ejus tanta vis est, ut amantes furiosis sape non absimiles sint, quare, si quis in furore amoris deliquerit, auctore Plauto, sapientis Judicis esse videtur, amantibus ignoscere,

A 2

nec

4 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

nec diffitetur ipse JUSTINIANUS Nov. 74. c. 4. quod amore nihil sit vehementius, eumque retinere Philosophia sit perfecta. Et licet in foro talis modi delinquentes vix ac ne vix quidem veniam & poenam mitigationem impetrant, quum actiones ipsorum non minus pro voluntariis habeantur, quia quilibet vim affectus sui & circumstantias actionis suae nosse debet, adeoque illi qui in furore amoris peccavit, merito imputatur, quod principio agendi quod in ipso deprehenditur non in tempore restiterit, quare mirum non est, cur auctoritati Plauti non multum loci relinquatur: non tamen diffiteor, quod sapientis LLatoris esse videatur, imbecillitati humanae in affectu amoris tantisper indulgere, ut in delictis carnis coercendis, mitiores amplectatur partes.

§. II.

*Aeneas Sylvii
bac de religi-
monium.*

Lectu digna sunt, quæ ex capite inclinationis naturalis ad concubitum Aeneas Sylvius ad procreationem filii naturalis defendendam, in singulari ob id ad patrem suum data afferr epistola, quam resert Müller in Reichs-Tagg Theatr. III. Vorstell. Cap. IV. in fin. Quæ cum satis lepide sit conscripta, illa, quæ huc spectant inferere liber. Ita vero differit Sylvius: *Læteris, an doleas, quod mihi sobolem Dominus dederit? incertum te scribis pater. At ego letitiae causam video, doloris non video. Quid enim dulcissim in humanis est, quam gignere sibi similem, tanquam extendere sanguinem & babere, quem post te relinquas? Quid in terris beatius, quam natos videre natorum? Mihi equidem ingens voluptas est, quod semen meum fecundaverit, quodque antequam moriar, aliquid de me supersit, gratiasque Domino refero, qui partum foeminæ figuravit in marem, ut apud te patrem meamque matrem aliquis parvus ludat Aeneas, & solatia praeslet avis, que debebat pater impendere. Quodsi tibi, genitor, gaudio fuit*

fuit meus ortus, cur filius meus mibi non sit lētitiae? Anne te quoque latificabit infantuli vultus, cum meam videbis in illo effigiem. Num quid tibi injucandum erit, cum parvulus pendebit ex collo Æneas? puerilesque blandirias agitabit? Sed ais fortasse, dolere meum crimen, quod ex peccato genuerim filium. Nescio, quam de me finxeris tibi opinionem. Certe, nec lapideum nec ferreum genuisti filium, cum essem tu carneus. Scis qualis tu gallus fueris. At nec ego castratus sum neque ex frigidorum numero. Nec sum hypocrita & videri bonus quam esse velim. Fateor ingenuum meum erratum, quia nec sanctior sunt David Rege, nec Salomone sapientior. Antiquum & vetus est hoc delictum, nec scio, quis hoc careat. Late patet haec pestis (si pestis est naturalibus uti) quanquam non video cur tantopere damnari coitus debeat, cum natura, quæ nibil perperam operatur, omnibus ingenuerit animantibus hunc appetitum, ut genus continuaretur humanum. Sed dicas ut arbitror certos esse limites, intra quos hoc liceat, nec extra legitimas matrimonii faces progredi debet hic appetitus. Ita est sane & siepe inter ipsa nuptiarum claustra sce-lus admittitur. Et bibendi quoque comedendi & loquendi certi sunt termini, sed quis servat illos? quis tam justus, ut sepius in die non cadat? loquatur hypocrita, seque nullius culpe sciam dicat, ego nullum meritum in me scio, sola que mibi divina pietas spem facit, misericordie, quæ nos labiles seit & ad lasciviam proclives. Nec nobis qui patet omnibus fontem venie claudet. Sed de his satis.

§. III.

Ex tanto ad generandum instinctu, quem homines sibi *Ius naturae* inditum esse sentiunt, rectissime concluditur, quod ipsa legi *obligat homines ad coniugium,* natura ad matrimonium ineundum & generationem promovendam obligum.

6 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

Optimus creaturas suas non mox interire voluerit, verum tantam, quantam satis mirari non possumus, in earum conservatione omnipotentiam declaraverit; sua sponte fluit, quod Ipsum Summum Numen non potuerit non conservationem humani generis eo magis intendere, quo magis homo, nobilissima creatura, & hujus causa omnes alias res creatæ intelliguntur. Quodque genus humanum per conjugium conservari voluerit, naturalis hominis ad conjunctionem cum individuo diversi sexus propensio, tantus generandi stimulus, & naturalis aptitudo hominis ad sui similem procreandum, abunde docent. Dum vero homines Jure naturæ ad conjugium obligatos assero, intelligo genus humanum collective sumtum, neutiquam tamen homines, ut singulos, quasi quilibet in individuo ad generandum obligetur. Etenim cælibatus in uno & altero individuo Jure naturæ eo minus prohibitus videri potest, quo minus conservatio generis humani subinde detrimentum capit, atque divina voluntas eluditur. Quod ipsum post revelationem minus dubii habet, quem cælibatus in sacris literis expresse approbatus videatur.

§. IV.

*Vaga libido
sanæ rationi;
non convenit.*
Deinde nec vaga & promiscua cum individuo diversi sexus coëundi ratio sanæ rationi & vitæ hominis sociali convenit, sed ipsa voluptas, quæ quidem veneri eum in finem addita est, quo homines eo magis generi humano propagando studerent, ita temperanda est, quo finis principalis, sibolis procreatio obtineatur, atque hoc naturæ ordine servato, ipsi tranquillitatí societatis externæ bene cautum sit. Ubi primo intuitu appetit, hæc omnia non iri obtenta, nisi certa societas conjugalis eaque certis inclusa cancellis existet. Hinc matrimonium ipso Jure naturæ non solum suos

fiuos limites habet, verum etiam gradus, quibus plerumque illud absolvitur, secundum hujus juris fundamenta merito a se invicem distinguuntur. Deinde vero latius voluntatem suam Summum Numen in sacris literis revelavit.

§. V.

Quæ singula persequi, quum prolixæ tractationis ne
dicam dissertationis res sit, ab instituto nostro alienum qui-
dem est; quum vero ab essentiali & ex veris fontibus de-
sumto societatis conjugalis conceptu solida quæstionum
matrimonialium decisio unice dependeat, hinc tanto ma-
gis opus est, ut in hoc præstruendo ad jus diuinum recur-
ramus, quo minus illi humani juris placita derogare possint,
necessæ est. Nam licet leges Ecclesiasticae a summa pote-
state humana propter externam honestatem et utili-
tatem publicam vinculo conjugali formam aliquam acci-
dentalē recte superaddant, ita, ut transgressores in pœ-
nam civilem incident, vel externa assistentia et juribus civi-
libus matrimonio concessis in foro externo destituantur,
merito tamen lex ecclesiastica etiam vinculum naturale con-
jugii attendere debet, et sicuti uxor, quæ talis jure naturæ
vel divino positivo non est, jure humano fieri nequit, ita
nec conjugium quod ex Dei voluntate subsistit, propter de-
ficientes solennitates externas omnino desinere potest.

§. VI.

Oppido notum est, quod potissimum duo gradus ne-
goti matrimoniales dentur. Prior absolvitur mutua mascu-
li & fœminæ promissione de futura conjugalī societate po-
ineunda, qualis promissio venit nomine sponsaliorum; po-
sterior vero consistit in ipsa actuali attributione mulieris
marito facta, ita, ut jam uxor propagandi generis humani
gratia viri propria reddatur; quo facto verum adest ma-
trimonio

*Dantur duo
gradus negoti
matrimonia-
lis.*

8 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

trimonium atque personæ maritatae proprie non sponsus & sponsa, sed vir & uxor audiunt, adeoque post copulam sacerdotalem adhuc in ipsa hierologia sacerdos in verba: *Lasset uns vor die neuen Ehe-Leute bethen, erumpit, et si durante festivitate nuptiali istæ personæ vulgo sponsus & sponsa salutari soleant.*

§. VII.

Sicut ergo consensus de futura cohabitatione conjugali ineunda ab ipsa cohabitatione jam inita sua natura differt: ita facile patet, quod nec naturali iure sponsalia qua adhuc in terminis nudæ promissionis subsistunt, vinculum conjugale inducant, pariter ac Sacra Scriptura non potuit non perpetuo servare distinctionem inter sponsalia & matrimonium. Non obstante Deut. XXII. v. 23. § 24. ibi: *Si quis despontatam puellam alicuius in agro vel quolibet loco oppreverit, moriatur, quia uxorem proximi sui nudavit.* § Matth. I. v. 18. 20. ubi Maria, qua adhuc Josephi sponsa & nondum ducta erat, uxor dicitur: *Quippe distinctio inter uxorem, qua talis est destinatione, & eam qua ratione essentiae talis est, totam rem conficit.* Dictis locis sponsa uxor vocatur, quia talis est *destinatione*, quo sensu etiam Jacobus Gen. XXIX. v. 21. sponsam suam uxorem vocat, neutiquam vero, quod etiam talis sit ratione *essentiae*. Quam distinctionem approbat Pontifex c. 12. C. 27. q. 2. ibi: *divina legis mos est sponsas appellare conjuges, non quod jam sint uxores, sed quod a parentibus fieri debeant.* Et licet aliquando idem ius æque ad sponsas atque uxores adplicetur, ut sic quoque in effectu convenient, inde tamen non omnis differentiatione eaque essentialis insimul corruit, quod ulterius respondendum ad dict. Deut. XXII. v. 23. § 24. neque minus Jure Civili ad l. 5. d. test. l. 74. de Jur. dot. l. 4. d. Fund. dotal.

I. 32.

*Sponsalia a
matrimonio
naturaliter
differunt.*

*Nec minus Jus
divinum inter
sponsam &
uxorem di-
singuit.*

- l. 32. §. ult. de donat. inter vir. & uxor. l. 15. §. 24. d. Injur.
l. 3. §. 3. ad L. Jul. d. adult. quibus textibus sponsas cum
uxoribus eodem jure in nonnullis uti videbis. Etenim hu-
jusmodi exceptiones firmant regulam in casibus non exce-
ptis, quod scilicet iura de uxoribus præscripta ad sponsas
non sint adplicanda.*

§. VIII.

Itaque differentia essentialis matrimonium & sponsa-
litiam obligationem intercedens semper salva sit, oportet. *Differentia es-
sentialis inter
sponsalia &
matrimo-
nium.*
Quæ in eo consistit, quod sponsalibus peractis non nisi obli-
gatio & quasi jus ad rem adlit ad matrimonium contrahen-
dum, quum e contrario matrimonio contracto, quasi Jus
aliquod in re acquiratur, ubi uxor mariti propria sit, quæ
ipsi corpus suum ad finem hujus societatis, pura procrea-
tionem sobolis, obtainendum, communicare tenetur. *Gen.*
III. v. 16. Per consequentiam quæ uxori jus in corpore
mariti acquiritur, ita, ut ab hoc præstationem debiti con-
jugalis jure petere possit. *1. ad Cor. VII. v. 4.* Verum hoc
respicit finem aliquem secundarium matrimonii, nimirum
libidinis extinctionem, qui finis ad essentialē conjugii
conceptum in d. *Gen. III. v. 16.* explicatum, non pertinet.
Scilicet requirit lex naturæ & divina positiva duo ad essen-
tiam matrimonii. Primo, sicuti secundum naturæ ordi-
nem differentia sexus ad propagationem sui similis & sic
ipsius naturæ conservationem inter animantia est introducta,
ut procreatio sobolis intendatur, & deinde, ut uxor viri pro-
pria evadat, vid. 1. Cor. VII. v. 2. Quorum alterutrum si
deficiat, non potest non conceptus veri matrimonii mox de-
ficere. Hinc maris & fœminæ conjunctio, quæ fine isto
procreandæ sobolis destituitur, matrimonium non est, et si
perpetui concubitus & cohabitationis gratia fœmina masculi

*Requisita ma-
trimonii essen-
tialia.*

B

alicu-

10 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

alicujus propria sit redditum atque talis actus intervenerit, quo omnibus innotesceret, hanc esse hujus viri uxorem. Similiter, & si partes de sibi invicem instar conjugum cohabitando convenerint atque spes subsit, sobolis procreationem obtentam iri, ubi tamen foemina in hujusmodi societatem nondum est assumta, nec adeo vir jus proprietatis in ipsam nactus est, nullum adhuc adest vinculum conjugale, sed tantum, uti mox ante deductum est, sponsalitia obligatio. Alterum hoc requisitum cum primo ex ipso natura ordine ac institutione societatis conjugalis fluxit. Quippe conservationi humani generis per sobolis procreationem minus prospectum fuisset, nisi jure quis de ejus conservatione sollicitus esset, quod onus eo magis ad patrem redundare debuit, quo magis hic post Deum non solum auctor prolis sua est, verum etiam, ut ipse uxori sua prospiciat eamque tueatur justum est. Quem natura ordinem penitus turbatum iri, si uxor non propria mariti, sed pater in certus sit, facile videbis.

§. IX.

*Momentanea
cohabitatio
non est matr-
monium.*

Quapropter cum sobolis procreatio non sola, sed quae cum ipsis educatione conjuncta est, finis matrimonii audiat ita porro exin sua sponte fluit, quod momentanea cohabitatio & dum partes ita conjunguntur, ut mox iterum recebendi licentia sit relicta, ne quidem secundum dictamen recta rationis verum matrimonium dicendum sit. Nec tamen recta ratio dictitat, si conjuges per temporis tractum in societate conjugali permanserint atque problem susceptam educaverint, vel nullam omnino viderint sobolem a se procreatam, quod tum amplius a se invicem discedere non possint, & quod societas conjugalis hac intentione inita non nomen matrimonii non mereatur. Quippe vagæ ac inordinatae

natae libidinis indicium excludit omnino intentio sobolem *Nec tamen fo-*
 procreandi eamque educandi, quamvis si causa divertii inor-*cetas conju-*
 dinata libido appareat, illud regulis honesti ac decori adver-*galis Jure Na-*
 sari facilius concesserim. Unde verius omnino videtur, *tura est indis-*
solutibilis.
 quod indissolubilitas vinculi conjugalis ex solo recte ratio-
 nis dictamine deduci nequeat, frustra dissentiente BRUCK-
 NERO Decif. Matrim. c. 13. n. 18. seqq. cuius rationes illud
 quidem evincunt, quod momentanea cohabitatio vel vaga
 libido matrimonium non sit, vel quod perpetua conjugum
 cohabitatio sit perfectior matrimonii gradus, neutquam
 vero, quod matrimonium ad certum tempus, quo soboles
 educari potest, naturaliter contrahi nequeat. *Conf. Ill. THO-*
MASHI Jur. prud. divin. Lib. III. c. 2. §. 115. seqq. & Fun-
dam. Jur. Nat. & Gent. Lib. III. c. 2. §. 18. Nihilominus *Secus Jure*
Divina Majestas circa hanc rem voluntatem suam in sacris *divino.*
 literis satis declaravit, atque matrimonio vinculum indissolu-
 bile adjecit, ita, ut licet ambo conjuges convenient, ipsi
 tamen a se invicem recedere atque vinculum semel con-
 tractum dissolvere non possint, sed vir uxori perpetuam
 vita sociam retinere teneatur, quod colligitur ex institu-
 tione Conjugii primæva *Gen. I. 27. & II. 24.* Et licet hæc
 lex a Judais in veteri Testamento ex indulgentia Divini
 Numinis non fuerit observata, ad observantiam tamen re-
 ducta est Novo Testamento, per *Matth. XIX, 9. conf.*
Matth. V, 32. ita, ut jam de individuitate vinculi conju-
 galis ex voluntate divina dubitare non liceat.

§. X.

Scilicet regulariter conjunctio maris & foeminae est in-
 dividua. Namque ob adulterium divertendi licentiam ex-
 presse concessit Christus, *Matth. V, 32.* quemadmodum di-
 vortium invitum patitur ille, quem alter conjux malitiose

Certis Casis
bus divorcio
locus est.

12 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

deseruit, arg. i. Corinth. VII, 15. juncd. i. Timoth. V, 8. Unde communiter duas causas, ob quas matrimonium semel legitime contractum dissolvatur, recensent, alteram adulterii, alteram *malitiosæ desertionis*. Ubi quidem inter Doctores anxie disputatur, an quoque similis vel major causa, veluti insidia vitæ divortio locum dent, quippe quod ex instituto inter recentiores evincere studuit Dn. STRYCK. Us. Mod. Lib. XXIV. Tit. II. §. 9. seqq. cui tamen respondeat Dn. WERNHERUS P. IV. Obj. 6. Sane argumenta, quæ ab utraque parte adseruntur ita comparata sunt, ut lectorem dubium fere & incertum relinquant, cui sententia accedere debeat. Attamen quum sententia affirmantium in regulis bonæ interpretationis sese fundans, nihilominus conjecturis insistat, ubi periculum transgressæ voluntatis divinæ semper metuendum est, præsertim, quum Legislator divinus certam suæ decisionis rationem, quæ ad alias causas commode applicari posset, non reddiderit, satius erit, literæ inhærere, nec aliam divortii causam, quam prædictas adulterii & malitiosæ desertionis admittere. Saltim hanc sententiam præ altera fori usus potissimum in his terris approbavit, quod ipsum prælaudatus Dn. STRYCK. d. l. dissimulare non potest. Dum vero ex tali causa matrimonium dissolvitur, non putandum, quasi retro nullum adfuerit matrimonium, cum nihilominus illud ab initio ea intentione a partibus contractum sit, ut vinculum conjugale perpetuo duraret. Namque individuitas vinculi pertinet quidem ad formalem conjugii conceptum, ratione *intentionis*, quatenus contrahentes cum in finem societatem conjugalem ineant, oportet, quo in ea ad dies vitæ subsistant, neutiquam vero ratione *executio-*
nis, ac ne illa ex post facto ob accidentem justam causam cessare possit, pariter atque intentio sobolem procreandi,
quando

Ubi matrimo-
nium retro
non dissolvi-
tur.

quando spes est, naturaliter a parentibus sibolis procreatio-
nem obtineri posse, ad substantiam matrimonii quidem
pertinet, ut tamen, si hic finis postmodum ex accidenti ob-
tineri nequeat, matrimonium subinde nullitatis vitio non
laboret. Potius ex vinculi conjugalis individuitate illud *Ob in fortunia
matrimonium
semel perfe-
ctum non re-
solvitur.*
quoque deducitur, quod ob impotentiam supervenientem & ubi sibolis procreatio amplius sperari non potest, ma-
trimonium non retractetur, cum ab initio illud subsisterit, atque plene consummatum sit, & hinc ad omnia fortunia & infortunia aequo animo perferenda conjuges merito obli-
gentur, conf. c. i. § 2. de conjug. leprof.

§. XI.

Tota res eo redit, quod formalis conjugii conceptus *Essentialis
conjugii con-
ceptus in com-
pendio recon-
setur.*
in plena mulieris proprietate, & individua cum illa conjun-
ctione ad propagandum genus humanum consistat. Talis
proprietas non ante acquisita dici potest, quam actus inter-
venit, quo uxor jam ad eum usum marito tradita & ab ipso
recepta intelligitur. Nec dubitandum, quod talismodi actus *Uxor Viri
propria sit in
benedictione
sacerdotali.*
solo consensu publice declarato perfici possit, veluti hoc con-
tingere viderimus in copula sacerdotali. Qui modus matri-
monium ineundi Jure Civili veteri incognitus fuit, conf.
N. 74. c. 4. §. 1. 2. ubi potius solennis illa apud Romanos usi-
tata sponsa in domum sponsi deductio frequentata legitur
l. 5. l. 16. §. 2. l. 67. d. R. N. l. pen. pr. d. donat. int. vir. §
uxor. l. 15. d. condit. § demonstr. l. 22. C. d. Nupt. l. 24. C. eod.
l. 6. C. d. donat. ante nupi. Leo Imperator primum lege publi-
ca in Nov. 89. sancivit, ut matrimonia sacræ benedictionis
testimonia omnino confirmarentur, qua neglecta, matrimo-
nium nunquam ita dici nec jure matrimonii gaudere de-
beret. Interim jam ab antiquissimis temporibus usus bene-
dictionis in primitivis ecclesiis invaluisse dicitur, ubi in ne-

14 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

gatio tam arduo potissimum divina gratia annuente bonis
precibus consummando, utilius videbatur, ut matrimonia
majoris sinceritatis declarandæ gratia in facie Ecclesiæ con-
traherentur, atque a sacerdotibus & Antistitibus Ecclesiæ
gratulatio & benedictio adderentur, cum alia quoque nego-
tia ad evitandam omnem circumventionis & fraudis suspi-
cionem in conventibus ecclesiasticis expediri solerent. Et
licet tum non fuerit creditum, quod benedictio sacerdota-
lis necessario adhibenda sit: tamen introducta tyrannide Pa-
pali eo deuentum est, ut matrimonium inter sacramenta nu-
meratum non aliter, nisi Clericorum auctoritate intervenien-
te, initiari posse crederetur. Unde episcoporum suggestioni-
bus tam in occidente quam oriente legibus publicis usus be-
nedictionis sacerdotalis hinc inde approbatus est, conf.
Dn. BOEHMERVS *Jur. Eccles. Lib. IV. Tit. III. §. 25. seq.*
Nec adeo mireris, quod hodienum in legibus nostris ecclesi-
sticis usus benedictionis sacerdotalis prescriptus sit, ita, ut o-
mitti non possit, nisi quis poenam incurriere, imo saepius quo-
que juribus matrimonio legitimo alioquin conceffis privari
velit. Nec dubitandum, quod subditæ in conscientia obligentur
ad voluntatem superioris etiam quoad hujusmodi externas
solemnitates sequendam, &, si illam negligant, in conscientia
peccent; Inde tamen non sequitur, quod benedictio sacer-
dotalis ad formam internam conjugii pertineat. Sicut enim
per superius deducta matrimonium, quod tale jure divino di-
cendum, jure humano nullum fieri nequit: ita nec defectus
benedictionis sacerdotalis essentia veri & naturalis conjugii
quid detrahere potest, quum hæc jure divino ad essentiam
matrimonii non requiratur. Licit quoque effectus, qui alias
Jure Civili matrimonio ex ejus sententia contracto conce-
duntur, cesserint, v. g. successio liberorum, conjugum &c. &c.
tamen

Benedictio sa-
cerdotalis non
est de essentia
matrimonii.

tamen effectus naturales non etiam cessant, v. g. quod talis conjunctio dissolvi non possit.

§. XII.

Sicut ergo traditio ista, qua ad matrimonii constitutionem requiritur, nudis verbis perfici potest: ita multo magis pro vero matrimonio habendum erit, si sponsus post sponsalia contracta cum sponsa concubat, eamque ad usum conjugalem ipso actu adhibeat. Nam licet concubitus per se non sufficiat, nec matrimonium perficere possit, verum traditionem & appropriationem mulieris marito in contrahendis nuptiis faciendam consensus conjugalis necessario comitari debeat; quum e contrario in praetexto causa sponsus in concubitu cum sponsa celebrato consensum suum publice non declaraverit, quod sponsam eo ipso in uxorem recipere, & ad usum conjugalem propriam sibi reddere voluerit; nec minus sapientissime accidat, ut personae desponsatae ex inconsulto amoris impetu libidinis causa ad præmaturum congersum prorumpant: tamen hic non ad concubitum solum, sed insimul ad sponsalia quæ præcesserunt, respicitur, atque quum in illis consensus de sponsa in posterum in uxorem recipienda jam intervenierit, postea, quam factum receptionis, quale est concubitus, accessit, non potest non consensus sponsalitius jam in conjugalem transiisse videri, ita, ut hæc præsumtio sit juris & de jure, quæ non admittit probationem in contrarium. Quin, & si sponsus præsente sponsa protestatus sit, se nolle ex hujusmodi copula teneri, & per eam matrimonium promissum implere, tamen protestatio talis sola, tanquam facto contraria nihil omnino efficere possit, necesse est. Nec aliud de Jure Civili dicendum, ubi ex l. 24 d. R. N. conjicias, ex concubitu cum aliqua interveniente præsumi fecutum esse consensum matrimoniale, & vero

*Verum ac per-
fectum matri-
monium con-
trabitur quo-
que, si sponsus
cum sponsa
concubat.*

*Tamjure ci-
vili.*

matri-

16 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

matrimonium pro perfecto habetur, simul ac consensus contrahentium intervenit, et si pompa & omnis celebritas absit. *l. 22. C. de Nupt. iunct. l. 66. princ. d. Donat. int. Vir. & Uxor.* ut sic non obstat, sed potius insigne argumentum addat *l. 30. d. R. I.* quod scilicet nuptias consensus non concubitus faciat. Sicuti enim exin dilucidius apparet, quod matrimonium ratum atque perfectum sit, quam primum de consensu conjugali constat, & si concubitus nondum accesserit. *add. l. 15. de Condit. & demonstr.* ita multo magis sequitur, quod si concubitus post sponsalia accesserit, qui consensum matrimoniale forius adhuc infert, quam si saltim consuetudo cum libera muliere & foemina honesta probeatur *d. l. 24. d. R. N.* quod tum ejusmodi matrimonium pro perfecto haberi debeat. *add. Nov. 74. c. 5.* Arque tale matrimonium non minus Jure Canonico verum judicatur, et si benedictio sacerdotalis non sit adhibita, *c. 15. & 30. d. sponsal. Can. si quis. causa. 27. qu. 2.* Idemque moribus servari Doctores passim testantur, ut ut tales, qui ante copulam sacerdotalem congressi sunt, puniantur, & præterea ad dictam copulam adhuc adhibendam adigi soleant. *conf. infr. §. 36. seqq.*

*quam Cano-
nico*

& moribus.

*Quo modo
matrimonium
ante copulam
sacerdotalem
perficitur.*

§. XIII.

Quo quidem sensu asserimus, quod concubitus matrimonium ante copulam sacerdotalem perficiat, scilicet præsupponendo, quod personæ, quæ sibi fidem dederunt de matrimonio contrahendo congressæ sint, sine prævia festivitate nuptiali. Nec tamen putes velim, quod sponsalibus antegressis concubitus post aliquod temporis intervallum sequitus esse debeat, sed perinde est, siquidem promissio matrimonii & concubitus uno actu concurrant, ut, si foemina intentu matrimonii ad concubitum allecta sit, quum nihil impedit,

pediat, quo minus uno actu de matrimonio contrahendo agi ipsumque matrimonium contrahi possit. Quodsi vero primo puella sine spe matrimonii ad concubitum inducta, postea stuprator cum illa sponsalia celebret, concubitus antegressus non efficere potest, quo jam verum vinculum conjugale adsit, sed adhuc traditione opus est, quæ rationem alicuius appropriationis habere possit, qualis sane tempore patrati stupri nondum adsuit, quum tum nullus adhuc consensus conjugalis adesset. Per concubitum hoc loco intelligimus commixtionem membrorum genitalium in personis despontatis, tanquam individuis diversi sexus; pariter atque matrimonium inde resultans nobis verum atque perfectum audit, et si ob omissas solennitates externas legum civilium non sit legitimum, vel saltim non solenne. Quæ omnia præmittenda fuerunt tanquam fundamentum futuræ tractationis ex quo varias conclusiones deducendas esse prævidimus. Evidem nobis propositum erat, de Concubitu matrimonii perfectione in genere differere, subinde demonstrato, quomodo concubitus matrimonium non solum ante, sed aliquando etiam post benedictionem sacerdotalem perficiat. Verum cum quoad prius membrum tractatio nimis se se extenderet, confilium mutandum fuit, ita, ut jam de concubitu matrimonii perfectione ante copulam sacerdotalem tantum disputaremus, reliquam tractationem alii labori reservaturi. Faxit Deus feliciter!

§. XIV.

Quum finis primarius matrimonii in sobolis procreantione consistat, ita, ut hoc tanquam parte essentiali deficiente, non possit non ipsum matrimonium deficere, sequitur, quod persona, quæ a natura ad generandum inhabiles sunt, non tantum jure a matrimonio ineundo arceantur, *Personæ ad generandum inhabiles nullum contrahant matrimonium.*

C

sed

18 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

sed etiam si de facto congressæ, imo per sacerdotem copulatæ, tamen nullus vir, nulla uxor, nullum matrimonium intelligantur. Atque hoc non solum ob vitium corporis eumuchos, castratos, aliosque qui inhabilitate quadam naturali generandi non curanda laborant, verum etiam ob
veluti impuberis
atatem
desponsi. impub. referri videas. Imo cum Reipublicæ quoque interfit, ne nimis festinato & ante atatem, quæ cum sufficienti prudentia res familiares gerendi conjuncta est, a subditis matrimonia contrahantur, masculum quippe ad quem potissimum cura rei familiaris spectat, non facile ante annos ista prudentia conjunctos ad matrimonium ineundum admitti solere in rebus publicis bene constitutis deprehendes. Nihilominus si talis persona de facto uxorem duxerit, quod tum verum matrimonium, ob facultatem generandi quæ adeat, subsit, nemo in dubium vocabit. Sed idem quoque de nuptiis impuberum statuendum foret, si quidem in his malitia atatem supplere atque secundus congressus factus videatur, quippe concubitus qui cum effectu intervenit, firmum potestatis generandi adeoque veri, quod inter istas personas contractum est, matrimonii perhibet argumentum, ut nullum amplius naturale impedimentum adsit, quod matrimonii istius semel perfecti consummationem per hierologiam dissuadere possit. c.g. X. d. desponsi. impub. Quamvis, si fatendum quod res est, matrimonium ita nunquam ab impuberibus, ut ut hoc nomine secundum Jus Civile veniant, sed natura sua puberibus contractum videatur c. 3. § 6. X. de desponsat. impub.

*Senes validum
contrahunt
matrimonium,*

Pari ratione connubia senum non prius permittenda vel pro perfectis habenda videntur, quam si secundi concubitus

§. XV.

cubitus testimonium adsit. Verum tamen cum ad substantiam matrimonii non praeceps actualis generandi facultas requiratur, sed sufficiat, si intentio generandi in contrahentibus adsit, eademque adesse possit, quod toties contingit, quoties potestas generandi adhuc sperari potest: necesse est, fore, ut senes iniquissime a matrimonio arceantur, quia ipsis spes omnis finem matrimonii obtinendi ademita non est, licet quoque rarius exoptatum sortiatur eventum, quippe non sequitur, quod illud quod raro contingit sperare non liceat; & sufficit, quod sobolis procreatio in senibus ne quidem ad casus maxime praternaturales referenda veniat. Dumque Medici in certo termino quo sobolis procreatio cessare debeat, varii sunt ac incerti, merito JCTi habilitatem generandi tamdiu presumunt, donec liquido contrarium doceatur. Idque sine distinctione an Senex cum juvenula an vetula cum juvene congrederiatur, cum pariter quoad vetulas plura passim prostent exempla, quod liberos procreaverint. Unde licet apud Romanos lege Papia Popaea quondam cautum sit, ne sexagenarius quinquagenariam duceret: tamen istam legem sustulit JUSTINIANUS I. 27. C. de Nupt. Adeoque hodie adhuc ista matrimonia passim permitta, saepe tamen dissuadenda esso, Mores Germania & tristis experientia testantur.

§. XVI.

Diversa ratio est personarum quæ conjungi lege vietantur, si modo distinguas inter nuptias Jure divino & humano prohibitas. Conjugia jure divino prohibita veluti ob consanguinitatem vel affinitatem, sicuti nulla humanæ postestatis dispensatione licita fieri possunt, sed contra legis prohibitionem de facto inita perpetuo vitio laborant: ita nec per concubitum convalidari possunt, cum & hic con-

*Quid sentien-
dum sit de
congressus
personarum,
quæ conjungi
lege vietantur.*

20 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

*Coniugia jure
divino prohibi-
bita non con-
validantur
per concubi-
tum,*

tinuo vitio labore. Neque hic admittere possum distinctionem inter gradus expresse in Sacra Scriptura prohibitos, & eos qui, saltim tacite vel implicite prohibiti videntur. Nam licet quoad hos, alii propterea, quod nihilominus in dubio sit an quoque ad eos prohibitio divina applicanda sit, & non minus peccatum committat, qui matrimonium quod forte subsistere potuisset dirimit, tutius ex duobus malis minimum eligendum & matrimonium tale semel contractum sustinendum putent: tamen nullum ejusmodi dubium admitto, sed gradus isti, quos spiritus sanctus expresse recensere omisit, v. g. *an quis avunculi sui relictam viduam, vel defunctae uxoris sororis filiam in uxorem ducere possit*, item; *an vidua possit nubere defuncti mariti sororis filio*, sub ista prohibitione, quod quis patrui sui viduam ducere nequeat, vid. Levit. XVIII, 14. & Cap. XX, 20. vel inclusi, vel eo ipso quo non adducti, tacite exclusi sint necesse est. Sententia ista, quod hujusmodi gradus sub gradu expresse prohibito comprehendantur, solidissimo superstruitur fundamento, quo persona non enarrata eodem plane modo sibi affinitate sunt junctæ, quo persona ibi adductæ, ut sic non obstat, quod a paritate graduum futile ducatur argumentum, ubi computatio graduum inventum Juris humani censetur, cum non de paritate graduum sed casuum identitate sermo sit. Cumque adeo dubium dissentientium facili negotio confutetur, non est, cur dubium superesse dicam. Sed et si dubium tantum videatur, ut tuto solvi non possit, tamen putarem minus peccari, si tale matrimonium dirimatur, periculum transgressæ voluntatis divinæ unico hoc actu sustinendo, quam si permittamus, ut peccatum per abominandum conjugium in dies multiplicetur, adeoque continuatum transgressæ voluntatis divinæ periculum me-

tuer-

tuendum sit. Aliter se res habet quoad conjugia jure humano prohibita. Illa enim si de facto contracta subsistere debent, quia matrimonium naturale semper superest, quod ab humana potestate quoad effectus naturales pro nullo declarari nequit, licet forte quoad effectus civiles, qui alias solenni matrimonio a lege concessi sunt, pro nullo habetur. Quodsi itaque concubitu interveniente naturale contractum fuerit matrimonium, licet personæ in gradu Jure humano prohibito sibi sint junctæ, quum tamen, ut a se invicem iterum discedant juberi non possint, nec vero honestatem publicam talis cohabitatio permittivelerit, hinc evenit hodie, ut ad consummationem matrimonii per copulam sacerdotalem compellantur & saltim poena promerita, quod legis prohibitione neglecta dispensationem a superiori non impetraverint, ab ipsis sumatur.

§. XVII.

Majori difficultate involuta est quæstio: an etiam liberi absque parentum consensu perfectum matrimonium concubitu interveniente contrahere possint? Jure Romano ad patriam potestatem respicitur, ita, ut illorum parentum in quorum potestate liberi existunt, consensus ad substantiam matrimonii ab ipsis contracti desideretur, eoque neglecto matrimonium de facto initum pro nullo habeatur *Jure Civilis?* pr. J. d. Nupt. l. 2. d. R. N. l. 2. 12. & 20. C. d. Nupt. l. fin. C. d. repud. Imo opus erat, ut consensus mox ab initio accederet. Unde si quoque ex post facto interponeretur, tamen hanc ratihabitionem non suffecisse ad convalidandum matrimonium ex tempore contractus, nec liberos ante natos retro legitimari communiter afferunt ob pr. J. d. Nupt. junct. §. 12. eod. Quam opinionem merito refutavit HUBERUS ad Inst. b. t. n. 10. & ad ff. d. Rit. Nupt. n. 5.

An liberi absque parentum consensu verum matrimonium ineat?

22 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

cum ratihabitio ejus naturæ sit, ut ad principium cuiusque actus retrotrahatur, *l. fin. C. ad S. Maced.* *l. 16. §. 1. d. pignor.* *l. 50. d. Judic. l. 1. §. 14. d. vi. & vi armat. add. l. 3. §. 9. de donat.* *int. Vir. & Ux. junct. l. 25. C. eod.* Matris consensus cum hæc similem potestatem in liberos non haberet, non æque sub absoluta hac necessitate requirebatur, *l. 20. d. R. N. l. 8. C. de Nupt.* licet regulæ honestatis & officium pietatis matri perinde ac patri a liberis debitum utique postularent ipsius consensum pariter ac reliquorum adscendentium & propinquorum non negligere *l. 134. pr. d. V.O. l. 1. & 20. C. de Nupt.* Atque ob eandem causam nec patris consensus in nuptiis liberorum emancipatorum majori necessitate requisitus est, *pr. l.d. Nupt. l. 25. d. R. N.* nisi quod filias minores concernebat, quippe quæ sine patris consensu, esti vel maxime ad secunda vota transirent, nuptias inire non poterant, *l. 18. C. de Nupt.* Jure Canonico distinctio inter parentes & liberos, utrum his sint in potestate an emancipati, an filii an filiae, sublata, atque ob reverentiam parentibus debitam, ipsorum consensus in nuptiis liberorum indistincte requisitus est, *vid. can. aliter l. & can. nosfrates 3. C. 30. qu. 5. can. non omnis 12. C. 32. qu. 2.* Verum an etiam tantæ necessitatis sit, ut matrimonium sine eo contractum nullitatis virtu labore, arduæ disputationis res est. Sane affirmantium sententia non param patrocinari videtur *c. aliter. C. 30. qu. 5.* ubi sequentia habentur: *Aliter legitimum non sit conjugium nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & a quibus custoditur, uxor petatur, & a parentibus & propinquioribus sponsetur & legitibus dotetur & suo tempore sacerdotaliter, &c. &c. solemniter accipiatur.* Et paulo post: *ita perfecta legitima scitote esse connubia, aliter vero presumta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel supra aut fornicationes*

Jure Cano-
nico?

cationes potius, quam legitima conjugia esse non dubitate. Sicuti vero ex ipsis requisitis legitimi conjugii hic enumeratis mox, appareat, quod quidem certus modus in matrimonio ineundo commendari, nequitiam tamen talis forma, ut, si unum alterumve requisitum non observatum fuerit, mox omnis veri conjugii conceptus cessare debeat, praescribi voluerit; cum alioquin sequeretur, quod etiam omissio consensus propinquorum, vel dotationis matrimonium nullum redde-rent, ita non sequitur, quod matrimonium illegitimum propterea, quod adulterio, stupro &c. comparetur, irritum dicendum sit. Imo dictus canon minus obstabit, quum Decretum Gratiani utpote privata auctoritate collectum vim legis non habeat, prout hoc latius declaravit Dn. ZIEGLER in *Dissert. d. orig. & increm. Juris Canonici* §. 42. & 47. ut taceam, quod SELDENUS *uxor. Hebr. lib. 2. c. 28.* probabi-liter asserat, Evaristi Papæ epistolam, ex qua canon iste de-sumtus est, suisse supposititiam. Verius ergo, quod Jure Canonicco consensus parentum non sit de substantia matrimoniī liberorum, quod satis probatur ex c. *cum causa 6. X. d. raptor.* ubi adductum exemplum militis, qui mulierem rapuit, sed ante, quam cum ipsa concumberet eandem sibi desponsaverat, validumque declaratur matrimonium licet parentes reclamarent. Nihilque in contrarium operari potest, quod ibi de casu singulari agatur, quo puella volens abducta & vitiata fuit. Quæ enim ratio in hoc casu singulari subsuit, cur conjugium raptoris cum rapta pro consummato haberetur, nec uxori a marito recedere, nec parentibus hoc conjugium retractare liceret, eadem ratio in genere obtinere debet, cur matrimonium absque parentum consensu initium subsistere debeat. Hæc juris canonici dispositio

24 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

sitio non quidem ob id tantopere eruenda videri poterat, quasi quæstio subinde decisa esset, cum Jus Canonicum generaliter in causis matrimonialibus receptum esse, atque Juri Civili præferri communiter afferant. Nam cum superiorius deductum sit, quod in his causis sublimius Jus, scilicet divinum quærendum sit, videndum, an Jus naturæ vel divinum positivum cum Jure Canonico convenient, an vero diversam Juris applicationem desiderent. Evidem Jure Naturæ liberi parentibus suis non solum durante educatione obsequium, sed etiam eadem finita reverentiam debent, quare obligantur ad consensum ipsorum in negotio tam arduo requirendum, atque hoc non factio contra officium peccant. Sed, et si hoc naturalis ratio svadeat *pr. J. d. Nupt.* non tamen ratio naturalis æque svadet, si liberi citra parentum voluntatem societatem conjugalem inierint, quod tum hujusmodi conjugium ipso jure nullum sit. Sive enim liberi adhuc in domo patris versentur sive non, sive sint filii sive filia, cum tamen parentum potestas in liberos tanta non sit, ut prohibere possint, ne hi ab ipsis se separent atque peculiarem in eant societatem, multo minus societas ipsis inconsultis inita nulla esse poterit. Quod si vero liberi in domo parentum manere cogantur, forte quod vietu paterno ulterius indigeant, nec illum sibi ipsi quærere possint, verius est, quod pater nuptias filii sui se invito celebratas per indirectum irritare possit, si personæ adductæ & proli suscipienda alimenta præstare nolit. Nam cum hoc ipsis utique liberum esse debeat, non potest non hoc facto usus conjugii tolli, cum ad hoc non solum facultas generandi, sed & prolem susceptam educandi & in genere familiam alendi desideretur. Jus divinum positivum cum Jure naturæ per omnia convenit. Neque enim ullus textus adduci poterit, ex quo probari posit, quod

Jure Naturæ?

Et Divino?

quod Summum Numen nuptias liberorum aliter ratas esse non voluerit, quam si consensus parentum adhibitus fuit, ut ut plura exempla doceant, usitatum fuisse, ut patrum consensus adhiberetur. Imo, quod liberorum nuptia dissidentibus parentibus iniri potuerint, probat exemplum Esaii, qui uxores parentibus suis invitatis duxit, & per eas hos gravi dolore afficit, nectamen ista matrimonia vel parentes ipsius vel Deus ipse irrita pronunciarunt, *Gen. XXVI, v. ult. & pen. jund. Gen. XXVIII, 8. & 9.* Hisce supposi-
Sponsalia con-
cubitu firmata
substanti abs-
que parentum
consensu.
 tis concludimus, quod, cum sponsalia per insequentem con-
 cubitum in matrimonium quodammodo transeant, matri-
 monium tale ob solum consensus paterni defectum facile
 retractari non debeat. Cui non obstat, quod gravissime
 a dissidentibus urgetur, quod sic lata porta delictis aperi-
 tur, & in arbitrio ejusmodi sponsalia illicita contrahent-
 ium esset, consensum parentum etiam ex urgentissimis ra-
 tionibus denegatum per concubitum extorquere, adeoque
 parentum jus temere eludere, imo absurdum esse eum qui
 peccavit, ad eam rem in qua peccavit confirmandam novo
 peccato adjuvari. *l. 2. pr. d. priv. del. l. 134. §. 1. d. R. J. I.
 s. pr. C. de Leg.* Non enim necesse est ut subinde delictis
 porta aperiatur, ubi neglectus consensus paterni propterea,
 quod ipsum matrimonium toleratur, impunitus non est, sed
 tales liberi alia gravi poena coercentur. Et licet consensum
 paternum ita eludere possint, tamen, cum hoc factum non
 sit extra poenam, Superiori & Judici ob id nihil imputari
 potest, qui officio suo satisfacit si delicta non finat esse im-
 punita, nec tamen subinde prohibere potest ne delicta com-
 mittantur. Denique cum ipsum conjugium peccatum non
 sit, sed saltim omissione consensus paterni, nec dici potest, si
 haec promerita poena coerceatur, quod liberi ad istam

D

rem

26 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE
rem in qua peccarunt confirmandam novo peccato adju-
ventur.

§. XVIII.

Sponsalia clandestina moribus nostris nulla fuit.

Si mores Germaniaꝝ potissimum vero nostrꝫ Saxoniꝫ consulas, ibi distinctio inter sponsalia publica & clandestina eo usque recepta est, ut illa solum obligent, his vero omnis validitas denegetur. Nam si vel maxime sponsalia clandestina pars refractaria confiteatur, si tamen exceptionem clandestinitatis opponat, illa pro nullis declarantur, nec partes ad matrimonium ineundum cogi debent. vid. Ordin. Eccl. El. Saxon. Tit. von Ehe Sachen, rubr. von Ehe-Gelöbnissen, §. wenn aber ic. ic. aliasque ordinatio-nes ecclesiasticas a BRUCKNER cap. 2. §. 3. allegatas. adde Constitutionem renovatam Regis Porus. Et Elect. Branden-burg. von Verlobnissen und Ehe-Sachen. §. ii. Qua ratione diversum quid a dispositione Juris Canonici statuitur, cum etsi hoc jure distinctio inter sponsalia publica & clandes-tina non minus cognita sit, tamen clandestina sponsalia r̄eque obligent, si modo probari possint. c. i. X. de desponsat. clandes. Accipiuntur vero sponsalia clandestina duplici sensu, prout vel a personis parentibus orbatis contrahuntur, nec saltim duorum testium praesentia adhibita est, vel contrahun-tur a personis quarum alterutra saltem unicum habet pa-rentem, nec tamen hujus consensum requisivit, etiam si alii testes non defecerint; cum tali casu praeter consensum pa-rentis ne quidem alii testes requirantur. Quum ergo liberi invitisi parentibus sponsalia contraxerunt, licet ad hanc post-modum concubitus accesserit, tamen, cum ad rem a legibus Saxonice reprobata in ipso jure nullam accesserit, omni quoque vi & effectu illa sponsalia apud nos destituta, nec adeo unquam matrimonium sine consensu parentum subsistere posse

posse videntur. Verum tamen cum hujusmodi sponsalia non etiam ipso jure divino nulla sint, sed potius ob concubitum qui accessit, in verum degeneraverint matrimonium, jam non amplius de sponsalibus clandestinis, sed de matrimonio clandestino sermo sit, necesse est, ad quod adeo dictæ constitutiones ecclesiasticae & poena nullitatis in iis contenta applicari nequeunt. Imo, cum pii legislatores de tali coniugio nihil amplius disponant, quam quod liberis immorigeris poenam carceris vel alias penas graviores dicitent, nec non parentibus libertatem dent, eosdem dote vel alii debitis privandi, vel quoque in totum vel pro parte exhæredandi, vid. Ord. Matrim. El. Sax. Tit. von Che-Gelobnissen, §. und da sie. CARPZ. Jur. prud. Confist. L. 2. tit. 3. def. 61. hoc ipso patet, quod tale matrimonium non sub lege nullitatis, sed tantum lege poena prohibitum sit. Conf. III. THOMASIUS in Diff. de validitate conjug. invit. parent. contr. & per benedict. Sacerd. depos. consummat. olim. Lips. 1689. habit. & jam in forma tractatus recusa Hal. & Lips. 1722. ubi diversa de hoc argumento collecta invenies præjudicia. Ortum inde traxit commune Doctorum axioma, quod concubitus ex sponsalibus clandestinis faciat publica, qui subinde in eo conveniunt, quod exceptio clandestinitatis amplius allegari non possit, sed partes cogenda sint ad matrimonium per benedictionem sacerdotalem consummandum, quamvis in eo adhuc graviter errent, quod sic tantum sponsalitiam obligationem eti efficacem agnoscant, cum tamen inter concubentes jam adsit verum vinculum conjugale, nonnisi juribus solenni matrimonio alioquin confessis ante benedictionem sacerdotalem destitutum.

§. XIX.

Non ergo mireris usum fori, quo distingui solet inter

*Notatur usus
fori, quo di-
vitia-*

singitur in-
ter vitiatorem
& vitiatam. vitiatorem & vitiatam. Huic quidem favore imbecillitatis sexus muliebris, & quia spe matrimonii ad concubitum allecta videtur validam actionem subinde concedunt adversus vitiatorem ad matrimonium per hierologiam consummandum, licet parentes ipsius dissentient, non item illi; sed siquidem parentes vitiatæ dissentiant, nec eam vitiatori in matrimonium collocare velint, illos cogi non posse, nec sponsalia clandestina concubitu firmata hoc casu effectum habere sentiunt STRUV. *Ipr. Rom. Germ. Lib. I. Tit. VI. §. 4.* Dn. WERNHER. *P. II. Obs. 42.* & *P. III. Obs. 22.* Addita diversitatis ratione, quod parentes vitiatæ per hoc nemini faciant injuriam, si opprobrium filiæ quod ad ipsius familiæ pudorem pertingit ferre velint. Quum vero hæc ratio cesseret si favor tertii concurrat, velut si partus ex tali amplexu exter, cuius interest matrimonium subsequi ut inde legitimetur, cum hujus favori renunciari non possit, opus habent, ut concedant vitiori actionem ad vitiatam sibi in matrimonium collocandam. Ill. de BERGER *Oecon. Jur. Lib. I. Tit. III. §. 4.* Sed cur non æque parentes vitiatæ cogi possunt ad consummationem matrimonii vitiori permittendam, si vitiatæ matrimonium appetat, cum etiam hic de favore vitiatæ agatur, cui, ut parentes ipsius æque renunciare non possint, iustum est? Ecquis non videt, quod prætensa aequitas prædictæ distinctionis lubrico isto innitatur fundamento, quo sponsalia clandestina concubitu firmata in terminis sponsaliorum persistere sibi persvadent. Cujus hypothesis demonstrata, oppido patet, quod hæc distinctio eo minus procedat, quo minus fundamentum illius ex legibus ecclesiasticis docetur. Quod effi doceri possit adeoque, actio in foro externo denegetur, cum tamen vinculum naturale conjugii salvum & integrum superstet, ac serere

serere non dubito, quod tales personæ in foro conscientiæ sibi maneant obligatæ & nemo earum cum alia persona matrimonium juste inire possit. Nec quicquam præsidii capit sententia illa, quod pater sponsalia filiæ et si stuprum accesserit revocare possit, ex *Exod. XXII, 16. 17.* ubi ipse Deus patris arbitrio relinquit, humiliatam virginem stupratori in matrimonium collocare vel hujus loco aliam accipere satisfactionem. Non enim hic de sponsalibus quæ præcesserunt in sequenti concubitu firmatis, adeoque de vero quod jam contractum matrimonio, sed de simplici stupro ubi consensus conjugalis nondum intervenit sermo est. Itaque hic matrimonium adhuc contrahendum supponitur. Ast illud nunquam in dubium vocavimus, quod auctoritas parentum impedire possit, quominus liberi citra eorum voluntatem matrimonium contrahere possint. Quod vero etiam parentibus integrum sit, matrimonium semel contractum ex capite contemti consensus paterni dirimere, neque ex allegatis textibus nec unquam ex sacris bibliis probabitur. Quicquid sit, in Saxonia Electorali provocant ad Rescriptum de anno 1684. quod integrum adducit Ill. de BERGER. in *El. Discept. Forens. P. II. p. 186. seqq.* ubi provisum, si pater præsens declararet, suspectam filii conversationem cum foemina sibi displicere, eamque moneat, quod sponsalia clandestina nullum per copulam carnalem robur acciperent. Cum vero hoc Rescriptum saltim a Consistorio supremo quod Dresden est emanarit, nec constet quod legis autoritatem acceperit, nescio, an illud Collegia Juridica in pronuntiando præcise generaliter sequi tenentur.

§. XX.

Ex dict. *Exod. XXII, 16. & Deut. XXII, 28. 29. ap-*

Lex de stupra-
ta præcise in

D 3

30 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

matrimonium
ducenda.

commode tolli
potuit.

Hinc stupra-
tor bodie stu-
pratam vel
ducere vel
dotare tene-
tur.

paret quoque, quod is qui foemina honestam stupro violavit cogi possit, ut stupratam sine omni exceptione ducat, unde idem hodiem obtinere debere, atque admodum periculosum esse in hac matrimoniali quaestione, de quibus spiritus sanctus omne arbitrium humanum excludere voluit, ab expresso Dei verbo recedere, afferunt alii. *vid. Dn. BODINI Disp. d. Concub. anticipat. th. 4.* Sed cogitandum erat, quod haec lex non esset positiva universalis universo humano generi sed tantum populo Judaico lata, adeoque sublata Republica Judaica vel ipsa commode tolli potuerit. Nec enim hic de ipso matrimonio tanquam instituto divino omnes homines concernente quid dispositum, sed siltim ob interesse Reipublicæ Judaicæ singulariter statutum est, quomodo Judæi ex facto imprægnationis ad foeminam vitiatam ducendam obligarentur. Ubi profecto non matrimonialis sed forensis quaestio decisâ videbitur. Hinc non injuste stupratori hodie, præsertim moribus Saxoniciis, elecio conceditur, an stupratam ducere an vero eandem dotare velit. Quæ alternativa obligatio ita quidem compara-ta est, ut stuprator principaliter obligetur ad stupratam ducendam, in hujus locum vero ex consuetudine totius Europæ, uti dicit *Ill. de BERGER in E. Muriim. §. g.* surrogata sit facultas dotandi, ita, ut per dotationem stuprator se liberare possit a necessitate stupratam ducendi. Ex quo consequitur, quod si obligatio principalis matrimonium contrahendi cesse, obligatio subordinata quoque scilicet necessitas dotandi cessare debeat. Hinc maritus qui foeminam stupravit, cum ipsam ducere non possit, nec illam dotare tenetur. Idque non immerito, quia foemina talem, de quo sibi spem nuptiarum promittere non poterat, admittens, non potest videri hoc fecisse intuitu speratarum nuptiarum,

ptiarum, sed animo libidinem extinguendi. Unde nec ad futuram dotationem respexisse videri potest, partim, quia sic ipsi nulla injuria illata cuius compensandæ gratia aliquam satisfactionem prætendere posset, ubi potius finem quem intendebat pura libidinis extinctionem consecuta est, partim, quia nosse debebat quod doratio non sit præmium libidinis, sed compensatio injuriaæ quæ infereat stupratæ, quo ipso stuprator eam in matrimonium quod ipsa sperare poterat ducere recusat, quo ita aliam honestam nubendi consequatur occasionem. Quæ ratio cum cesseret, ubi stuprator post stuprum commissum suo factò efficit quo minus stupratam amplius ducere valeat, veluti aliam uxorem ducendo, hinc tali casu aliud stupratæ remedium non supereat, quam ut pure ad dotationem consequendam agat. Interim quia dotation non præcile propter delibatam virginitatem sed ob denegatum conjugium præstanta est, inde foemina quæ jam antea ab alio vitiata est, cum non minus posteriorem intuitu speratarum nuptiarum admisisse videri debeat, non minus contra hunc, ut ipsam aut ducat aut dotet, agere possit necesse est, quippe ob quam causam etiam viduæ hanc actionem concedunt. Atque ita in terminis judicatum resert Dn. WERNHER. P. VII. Obs. 135.

§. XXI.

Ad personas lege conjungi prohibitas referuntur quoque adulter & adultera. Jure Civili matrimonium inter has personas simpliciter prohibitum fuit, in tantum, ut, si de facto cocontractum fuerit, illud ipso jure nullum esset omnibus legitimi matrimonii effectibus destitueretur, l. 27. C. ad L. Jul. d. adult. Nov. 134. c. 12. Jus Canonicum diversum statuit, nec matrimonium tale simpliciter improbat, sed illud prohibet tantum, si adulterium cum futuri matrimoniis

*Prohibitiō matrimonii inter adulterum & adulteram
Jure Civili absoluīta*

32 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

*Jure Canoni-
co limitata est.*

ni promissione, vel insidiis vitæ priori conjugi structis con-
junctum fuerit, c. 3. § 6. X. de eo qui duxit in matrim. quod
que hanc dispositionem in praxi sequamur, Doctores passim
testantur. *vid. BRUNNEM. Jur. Eccles. Lib. II. c. 16. §. 16.*
CARPZ. P. 2. Jprud. Eccles. d. 14. § 15. Nihil habeo quod
hic circa dispositionem Juris Canonici moneam. Ubi enim
durante priori matrimonio alia persona sub spe matrimo-
nii ad concubitum inducta est, persona adhuc conjugata
cum illa in matrimonium transire nequit, cum non sit sub-
jectum habile quod alteri fidem conjugalem promittere
possit. Adeoque talis actus non novum vinculum conju-
gale superinducere potest, cum bigamia prohibita sit, sed
ut adulterium poena promerita recte coercetur, quorsum
spectat casus a Dn. STRYCKIO ad BRUNNEM. *Jus Eccl. d. 1.*
recensitus. Quodli vero casum huncce paulo aliter for-
mes atque supponas, quod maritus ille, qui puellam M. E.
O. venalem cerevisiam petentem in cella persuasionibus
atque hoc usus argumento, notum puellæ esse uxorem suam
jam morti vicinam, quod si ergo copulam carnalem admitt-
tere vellet se mortua uxore nullam aliam quam ipsam du-
ctrinum, eo adduxerat ut copiam sui faceret, postea, quam
uxor ipsius defuncta erat, puellæ isti de novo matrimonium
promiserit atque postmodum cum ipsa concebuerit, potius
dicendum videtur, quod jam novum matrimonium naturale
perfectum sit, ita, ut petitio feminæ hoc saltim efficere po-
tuerit, quo minus isti marito novum matrimonium cum
alia persona concedendum videretur. Nam etsi adulterium
peccatum omnino & poena dignum sit: tamen ulterius nul-
lum morale impedimentum video, quo minus matrimonium
adulteri post mortem prioris conjugis cum adultera
de facto contractum subsistat, & si adulterium ante cum
matri-

*subsistit ma-
trimonium
adulteri cum
adulteria post
mortem prioris
conjugis
de facto con-
tractum.*

matrimonii promissione conjunctum fuerit, cum hoc impedimentum saltim sit Juris Canonici. Ut taceam, quod tali casu quidem adulteram ducere Jure Canonico prohibeat, nec tamen declaretur, quod matrimonium ab ipsis de facto contractum nullum esse debeat.

§. XXXII.

Inde minus dubii habet, si uxor post commissum a marito adulterium, et si sententia Judicis declaratoria non-dum accesserit, cum alio sponsalia ineat accidente copula carnali, quod hic novum idemque perfectum conjugium adsit, benedictione sacerdotali consummandum, neque vero d. c. 6. X. d. eo qui duxit in matrim. locum sibi vindicet. Nam licet tali casu concubitus ante sententiam judicis declaratoriam exercitus gravius coerceri soleat, inde tamen validitatem novi conjugii nihil decedit. Simulac maritus adulterium commisit, matrimonium quod inter ipsum & uxorem pendebat, ex hac causa dissoluble esse coepit, nec adeo concubitus cum promissione matrimonii ab uxore postea cum alio exercitus nomen adulterii meretur, de quo tamen d. c. 6. tantum disponit. Praejudicium vid. apud Dn. WERNHER. Obs. 451. P. VIII. Nam si sententia judicis declaratoria postea accedit, sane haec ad tempus adulterii a priori maritocommissi retrorahitur, adeoque istud matrimonium ex eo tempore pro dissoluto declaratur. Cumque uxor post illud tempus in rei veritate non amplius uxor nomine venierit, ipsa valide sponsalia cum alio contraxit, nec concubitus qui haec confirmavit adulterio recte comparatur, sed verum matrimonium naturale efficit. Quamvis utique validitas hujus conjugii in pendentii sit, usque quod declaratur.

E

34 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

dum sententia Judicis prius matrimonium pro dissoluto declarans accessit. Nam si quidem haec deficiat, etiam conceptus veri conjugii interea contracti non potest non deficerre, ut hoc potius adulterii notam subeat. Veluti, si uxor cum adultero post adulterium sibi cognitum ulterius concubat, quo ipso matrimonium alias dissolutione obnoxium pro redintegrato habendum, eo ipso sponsalia ab uxore postmodum cum alio accedente concubitu inita, non possunt non adulterio cum promissione matrimonii coniuncto accenseri.

§. XXIII.

Succedit aliud exemplum, scilicet matrimonium cum persona infidieli contractum, quod ipsum nec sicco pede transendum videtur. Etenim ex l. 6. C. de Jud. & cœlicol. notum est, quod Christianus infidelem ducere prohibeatur. Quodque eodem jure hodienum utamur, testis est Dn. STRYCK in Uf. Mod. Lib. XXIII, tit. II. §. 5. sed bene monet Ill. de BERGER. in Oeconom. Jur. Lib. I. Tit. III. §. 5. quod tale matrimonium contrahendum impediatur quidem, sed contractum non dissolvatur, quodque mores hodierni a rigore prædicta l. 6. non immerito recesserint, cum in primitiva ecclesia hujusmodi matrimonium toleratum sit. I. Cor. VII, 12. seqq. quod spes esset, a coniuge fidelis infidelem conversum iiii. 1. Petr. III, 1. I. Cor. VII, 16. Hinc, siquidem Christianus feminæ infidieli matrimonium promiserit atque concubitus accesserit, merito graviori quidem poena hoc delictum coeretur, cum tamen verum matrimonium inter hasce personas jam adsit, consummatio ejus per copulam sacerdotalem non denegatur, siquidem persona infidelis christianam religionem assumat. Nam si hoc non fiat, scandala

Matrimonium
cum infide-
li prohibe-
tur Jure Ci-
vili.

Temperamen-
tum secundum
Jus moder-
num.

scandali evitandi gratia istæ personæ in nostris terris non tolerantur, multo minus permittetur, ut tale matrimonium per copulam sacerdotalem convalidetur, cum intuitu personæ infidelis hæc nonnisi abusus futurus sit. Minus ad-
huc improbanter conjugia cum personis religionis toleratae secundum mores nostros, cum ne quidem matrimonium cum tali persona contrahendum impediatur, si modo potestas concedatur liberos sine discriminè sexus in vera religione educandi. CARPZOV. *Jprud. Confst. Lib. II. d. 6. § 7.* licet Jure Civili pariter atque Canonico tale matrimonium non minus prohibitum fuerit, ubi hæretici extores erant adeoque omnium jurium civilium incapaces. Quin istæ tres religiones, quæ in imperio nostro per Instrumentum pacis expresse approbatæ sunt, ita se habent, ut ne quidem imputationem hæreticæ pravitatis quoad effectus civiles admittant.

§. XXIV.

Alias quoque matrimonium inter raptorem & raptam Prohibitio ma-
gravissime prohibitum legitur in l. un. C. d. Rapt. Virg. Sed trimonii inter
cum hoc Jure Canonico per c. pen. & ult. X. de rapt. tol-
ratur atque hanc dispositionem in praxi sequamur, tam de raptorem &
hac quam aliis prohibitionibus. v. g. quod matrimonium raptam
prohibitum fuerit inter magistratum & provincialem l. 38.
§ 57. d. R. N. inter tutorem & pupillam ante redditas ab
illo rationes, l. 59. 64. §. 1. l. 66. d. R. N. cum ea persona,
quam quis ex sacro fonte levavit, l. 26. C. de Nupt. tot. tit. X.
de Cognat. sp̄irit. plura addere eo facilius supersedeo, quo minus illa hodie amplius attenduntur, & siquidem attendan- aliaque similes
prohibitiones
bodie non at-
tenduntur.

runt. Hinc licet matrimonium inter raptorem & raptam

nonnullis in locis adhuc hodie sub pena nullitatis prohibitum videatur, nec dubitandum sit, quod tale statutum in pronunciando sequendum foret, tamen vinculum conjugale ita non nisi quoad effectus civiles in foro dissolvitur, ut sic omnia ea, quæ supra de matrimonio invitis parentibus contracto in genere adduximus, hic repetenda veniant.

§. XXV.

Doctrina, quod sponsalia accedente concubitu in matrimonium transeant, in concurso sponsaliorum, ut & ubi de divorciis & repudiis agitur, magnam præstat utilitatem.

Supposito, quod sponsalia concubitu accedente in matrimonium transeant, doctrina hæc in materia de concursu sponsaliorum, nec non divorciis & repudiis insignem utilitatem præstat. Nam siquidem naturalem conceptum distinctionis inter sponsalia & matrimonium, quem superius suppeditavimus, repeatas insimulque pensites, quod potissimum ex hoc principio causæ matrimoniales, Jure Canonico ubi diverticulum facit insuper habitœ, decidendæ veniant, omnes difficultates, quas hac in parte Jus Canonicum distinctione sua inter sponsalia de præsenti & de futuro, vel potius scriptores qui illam sinistre interpretati sunt fuscitarunt, facilis negotio superabis. Aliae ordinationes ecclesiasticae de sponsalibus disponentes servandæ sunt, quodsi vero non amplius de sponsalibus, sed vero matrimonio quæstio est, cavendum, ne illæ sinistre adplicantur. Nec enim quæstio de nullitate sponsaliorum cum quæstione de nullitate matrimonii unquam confundenda. Cavendum quoque, ne opineris, quod sponsalibus celebratis jam vinculum conjugale adsit, ne ita differentia essentialis sponsalia & matrimonium naturaliter intercedens corruat, atque effectus independens, quod sponsalia facilius dissolvi possint, matrimonium non æque, coincidat. Hec enim cum non satis distin-

distingverat Commentatores, aliter fieri non potuit, quam ut passim conclusiones minus convenientes enata sint. Nec inde mireris, quod saepius confusa hujusmodi questiones decidendi ratio frequenter, ubi solidum ac genuinum fundamentum non attendentes, mox literæ Juris Canonici nimis inharent, mox vero ob evidentem iniquitatem inde provenientem iterum ab illa recedunt, atque aliquid negant, quod tamen uno admisso vel ipsum quoque admittendum erat. Quos scopulos ergo non rectius evitabis, quam si abstrahendo penitus a Jure Canonico, vel potius incongruis hujus interpretationibus ac applicationibus a Doctoribus nostris institutis, simplicem & voluntati divinae convenientem negotii matrimonialis naturam strictim sequaris.

§. XXVI.

Quodsi quis cum pluribus se despontaverit adeoque *Sponsalia*
plura concurrent sponsalia, extra dubitationem positum est, *priora præ-*
quod posteriora prioribus cedere debeant, quia rationi ad- *feruntur po-*
modum convenit, quodsi plures ad eandem rem concur- *terioribus.*
rant, et si eodem jure muniti sint, tamen potior jure sit, qui
prior est tempore. conf. l. 2. §. 10. l. 11. pr. l. 12. pr. qui pot. in
pign. l. 2. l. 4. l. 12. §. 1. in fin. C. eod. Et quia juramentum
quidem in præjudicium jurantis, sed non æque in præjudi-
cium tertii valere potest. c. 28. X. d. jur. jur. c. non est obli-
gatorium. 58. d. Reg. Jur. in 6. nec adeo hujus Jus præ illo,
quod ei cui juratum est acquiri voluit, infirmius reddere, *licet hæc sint*
lubens fateor, quod sponsalia priora posterioribus *jurata,*
ratis anteserenda sint, cum nec is qui juravit, ubi facto
tertii juramentum servare impeditur, perjurii metum sen-
tire debeat. Merito tamen improbo doctrinam qua spon-
falia

33 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

quod securus, si
ad hec concu-
bitus accesserit.
falia priora posterioribus præferri jubentur, et si adhæc con-
cubitus accesserit, ex c. 31. X. de sponsal. ibi: etiam si car-
inalis copula subsecuta. c. 3. X. de sponsa. duor. minus recte deli-
batam, dum potius secundum mentem Juris Canonici per
sponsalia de præsenti verum matrimonium indicatur, unde
doctrina Juris Canonici de sponsalibus de præsenti, ad
sponsalia proprie sic dicta & quo sensu nobis veniunt, præ-
postere applicatur. Quis enim hic non videt, quod illa de-
cisio falso principio, quo scilicet sponsalibus nostris vincu-
lum conjugale tribuitur, innitatur, quodque vinculum illud
per subsequens aliquod matrimonium rumpi non possit.
Unde evenit, quod magni nominis Jcti prioribus sponsali-
bus tantum jus tribuant, quod ipsam personam despontam
afficiat, quo minus haec postea alii fidem de matrimonio
dare, nec verum matrimonium contrahere possit, verum,
quod talis conjunctio pro stupro imo adulterio habenda
sit. Quo supposito opus habent, ut nec consummationem
matrimonii per copulam sacerdotalem in præjudicium spon-
salariorum prius legitime contractorum validam pronun-
ciant, cum si traditio vera quæ sit per concubitum illum
operari non possit, quo sponsalia posteriora prioribus præ-
ferantur, multo minus traditio facta qualis est copula sa-
cerdotalis illum effectum producere queat. Nec diffiteor,
quod hac in re acriori judicio utantur præ illis, qui quidem
concedunt, quod sponsalia posteriora concubitu firmata
prioribus cedere debeant, contendunt tamen, si ad posterio-
ra copula sacerdotalis accesserit, quod tum priora postpo-
nantur. Imo vero, sive ad posteriora benedictio sacerdo-
talis sive tantum concubitus accesserit, verum semper at-
que perfectum sunt matrimonium, cuius vinculum cum in-
dissolu-

diffolubile sit, ubi contrahentes per concubitum fiunt una caro adeoque insolubiliter conjuncti sunt, *Matth. XIX, 6.*
Corinth. VII. tanquam fortius, minus fortis, scilicet obligatiō ad tale vinculum contrahendum quæ tantum in sponsalibus occurrit, præferendum erit. Neque est quod dicas, quod sponsalibus contractis postea aliud matrimonium, cui verum vinculum conjugale insit, supervenire nequeat. Nam hoc dato sequeretur, quod per sponsalia persona desponsata in alterius potestatem ac proprietatem eo usque veniret, ut sic de persona sua amplius disponere non posset; qua ratione sponsalia & ipsum conjugium graviter confunduntur. Etsi quoque urgeas, quod saltim eatenus jus in persona desponsata alteri acquiratur ne hæc ad alia vota transferre possit, concessio, quod demum jus in corpore alterius ad usum conjugalem nuptiis fecutis acquiratur: tamen defideratur probatio, quod ea sit sponsaliorum natura. Sicuti enim quilibet conventio non aliter comparata est, quam ut persona exinde obligata fidem promissi servet, nec tamen obligatio exinde resultans personam obligatam, donec se ab obligatione liberavit, alteri subjectam ne dicam propriam reddit: ita nec aliam obligationis sponsalitiae naturam admittere possum, donec proberur contrarium. Nec vero ea est conventionis natura, ut actus contra hanc a persona obligata suscepitus regulariter irritetur. Adeoque licet concedam, quod homo secundum jus divinum regulariter obligatus sit ad fidem in sponsalibus datam servandam, nec ab iis pro lubitu recedere possit, non tamen sequitur, quod actus contrarius & si quis contra fidem priori sponsa datam cum alia matrimonium contrahit, nullitatis virio laboret, sed talis fidem sponsaliorum violans peccat tantum, poena di-

gnus,

40 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

*Explicatur
Deut. XXII,
23. § 24.*

gnus, & obligatus manet ad satisfactionem persona lēlē alio modo præstandam. Multo minus tale matrimonium stupro vel plane adulterio comparatur. Nam coēunt personæ ab alio vinculo conjugali soluta & quidem animo societatem conjugalem ineundi. Cui non obest, quod *Deut. XXII, 23. § 24.* sponsa uxori comparetur atque in illam adulterium committi intelligatur. Nam ibi non de tali casu, quo fidei sponsalitiae alii data penitus renuntiantur, atque cum alio sponsalia accedente concubitu celebrantur, sed de stupro atque sic de violatione fidei, quæ erga sponsum destinatione conjugalis manere debet, sermo est, ubi sane perinde est, an in antecessum thorus conjugalis futurus violetur atque sic incertitudo lobolis futura oriatur, an vero hoc pendente matrimonio fiat.

*Contrarium
minus recte
asseritur de
Jure Saxonico.*

§. XXVII.
Omnium maxime miratus sum, quod DN. STRYCK in *Tract. de Diff. Sponsal. Secl. IV. Cap. II. §. 4.* afferat, quod de Jure Saxonico minus dubium sit, sponsalia priora posterioribus concubitu confirmatis præferriri, eumque in finem ad *Ord. Eccles. tit. von Ehe-Sachsen,* punct. von *Ehe-Geböniß,* §. würde sich aber, ic. nec non ad *Ord. matrim. d. Anno 1624.* punct. 1. §. würde sich aber, junc. §. Es soll aber, ic. provocet. Sicuti enim verba horum textuum haud integra refert, ita mentem plane alienam piis Legislatoribus affingit. Verba dict. Ordin. Eccles. quæ nec in Sylla mutata repetuntur in dict. Ordin. Matrimonial. ita se habent: Würde sich die Person, so sich mehr denn eines verbindlich verlobet, mit der letzten verlobten Person fleischlich einlassen, so soll dieselbe an den Pranger gestellet, und des Landes ewig verwiesen, und die

die andere, woferne sie sich wissentlich des ersten Verlobniß, mit dem verbrechenden Theile dergestalt in Che-Gelüdd und fleischliche Unzucht eingelassen, mit gleicher Straße des Prangers und der ewigen Verweisung belegen werden. Es soll aber der ersten Verlobten unschuldigen Person nichts desto minder freystehen, ob sie sich mit dem Verbrecher versöhnen will, und auf dem Fall soll das verbrechende Theil, so wohl auch die andere verlobte Person, so sich wissentlich der ersten Verlobniß fleischlich eingelassen, ehrlos und anrüchtig seyn, und mit Gefängniß oder sonstem willkührlich gestrafft werden. Sed quis ex hoc contextu dividinabit, quod sponsalia priora preferri, posteriora pro nullis haberi atque persona semel tam arcte conjunctæ dirimi debeant. Neque vero verba: *Ob* sie sich mit dem Verbrecher versöhnen will &c. aliud evincunt, quam, si pars innocens juri suo renuntiet atque injuriam illatam remittat, quod hoc ad mitigationem poenæ partium nocentium tendere debeat. Nam quod iste casus, quo pars innocens nocentem in matrimonium accipit, hoc loco non supponatur, manifesto indicio est, quod hoc non obstante pars innocens poena infamiae plecti debeat; qua ratione parti innocentie sane minus prospectum foret, ad quam saltim per indirectum non posset non ejusdem poenæ sensus pertingere.

*Explicatur
Ordin. ecclæ.
de matrimonio.
de an. 1624.*

§. XXVIII.

Iis in locis, ubi sponsalia clandestina penitus impro-
bata atque ipso jure nulla sunt, veluti in nostris terris, du-
bium non est, quod sponsalia publica et si posteriora sint
tantum obligent adeoque hæc illis præferantur. At quod
*Quum sponsa-
lia clandesti-
na invalida
sint, publica
tantum atten-
duntur, sive
idem*

F

42 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

*Sint priora sive
posteriora.
Non idem de
Jure Cano-
nico recte af-
seritur.*

*Sponsalia
clandestina
concupitus fir-
mata prae-
ferenda sunt
sponsalibus
publicis eis
prioribus.
Quando con-
cubitus ad
urisque spon-
salia accessit,
praeferentia
ex concubitus
prioritate di-
judicanda est.*

*Concupitus ad
sponsalia im-
perfecta acce-
dens eadē
scit degene-
rare in matri-
monium.*

ideim ex Jure Canonico doceri possit, non video. Clandestinæ desponsationes hoc Jure non simpliciter sunt reprobatæ, sed valent, si modo probari possint, c. i. § 2. X. d. clandest. desponsat. Sicuti ergo hoc Jure doceri nequit, quod sponsalia publica fortius ligent, quam clandestina probata vel confessata: ita nec solida adduci potest ratio, cur hæc si priora sint, tamen publicis posterioribus postponi debeant. Quodsi ad clandestina sponsalia concubitus accessit, non amplius de sponsalibus sive publicis sive clandestinis sed vero matrimonio quæstio est. Hinc non attento, an sponsalia clandestina concubitu firmata, sint priora an posteriora, semper sponsalibus publicis secundum prædicta præferenda veniunt. Quodsi vero ad altera sponsalia concubitus æque accesserit, videndum, quibus prius accessit. Hæc enim, cum jam pro vero atque indissolubili matrimonio habenda sint, necessario præferenda erunt posterioribus, & quidem indistincte, sive hæc sint publica sive clandestina, quippe concubitus qui ad hæc æque accessit potius stuprum inno adulterium dicendum.

§. XXIX.

Quemadmodum ergo concubitus sponsalia lege alias reprobata valida atque indissolubilia reddit, ita non minorem vim exserit in sponsalibus adhuc imperfectis. Notum est, quod in omni contractu perficiendo certus ac serius utriusque contrahentis consensus intervenire debeat. Quodsi ergo per verba dubia ambigua vel jocosa sponsalia contrahuntur, cum sic de certo contrahentium consensu constare non possit, nulla ex illis resultat obligatio. Verum ubi concubitus accedit, ibi consensus antea incertus

retro

retro certus fit, dum per factum ipsum vera illius interpretatione suppeditatur, & verbi gratia pro jocante haberi nequit qui ipso actu seriam verborum interpretationem facit. Quo ipso itaque consensus sponsalitius per concubitum influui conjugalis evadit, eo ipso talis conjunctio non minus pro vero atque perfecto matrimonio agnoscitur.

§. XXX.

Eadem ratio est sponsaliorum conditionatorum. *Sponsalia conditionata concubitu firmata preferenda puris et si prioribus.*
 Quo ipso enim ad hæc concubitus accedit, eo ipso conditioni adjectæ renunciatur, quia non æque sub conditione contrahi potest matrimonium, sed hoc mox pure contractum est, simulac sponsus sponsam ad usum conjugalem adhibuit. Qua ratione sponsalia conditionata æque ac imperfecta aliis puris atque perfectis necessario anterenda sunt, et si hæc priora fuerint. Alias Doctores sponsalia pura conditionatis præferunt, et si hæc sint priora, si modo sponsalia posteriora ante existentem prioribus adjectam conditionem pure contracta sint, ob c. un. §. 1. de sponsal. *Et multi sponsalia pura conditionatis præferunt et si hæc sint priora.* *in 6to*, ut hinc sequatur, quod si concubitus ad conditionata demum post alia sponsalia pura accesserit, hæc illis præferenda veniant. Sicuti vero dicta Juris Canonici dispositio potius de concursu sponsaliorum conditionatorum & veri matrimonii, quod magis impropre sponsalia de præsenti vocatur, exaudienda est, adeoque prædicta assertio pariter rejecto isti principio innititur, quod consensu sponsalitio jam vinculum conjugale insit, quo fundamento corruente nec minus conclusio inde dependens, quod sponsalia pura conditionatis postea concubitu confirmatis præferri debeant, corruere debet: ita ne quidem in concursu

44. DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

*sed minus re-
cte*

*Sponsalibus
conditionatis
deficientibus,
pura interim
contracta sub-
sistunt.*

sponsaliorum purorum & conditionatorum simpliciter talium ista doctrina secundum accuratiōrum JCTorum iudicium in praxi servatur, sed sponsalia conditionata priora puris posterioribus simpliciter praeferuntur, quia is, qui sub certa conditione quid promittit, valide obligatur ad expectandum conditionis eventum, arg. l. 7. pr. d. contrah. emt. unde jus alteri ex conditionata promissione quāsītūm non potest non impedire, quo minus in hujus præjudicium alia sponsalia pure contrahantur, nec dubitare licet, quod ille hinc inde fundatum jus interveniendi habeat, atque vi hujus protestari possit, ne sponsalia pura sed posteriora ante, quam conditio defecit, per copulam sacerdotalem consummentur. Ut sic nihil in contrarium faciat, quod urget CARPZ. *Jurispr. Confīst. Lib. II. Def. 70. n. 14.* quod scilicet post sponsalia conditionata, aliis sponsalibus puris contractis, obex incurrat, qui priorem obligationem tollat, ut ad id quod sublatum est conditio retrotrahi nequeat. Ita enim oppido principium petitur. Quippe in lite est, an sponsalia pura posteriora illius efficaciam sint, ut sponsalia priora conditionata tollant, quod ipsum nos constantissime negamus. Potius, cum conditionis generaliter ea sit natura, ut illa siquidem existat mox ad tempus actus gesti cui adjecta est retrotrahatur, sponsalia sub conditione inita non possunt non conditione existente, ab eo tempore pro puris haberri quo contracta fuerunt, pariter atque conditione deficiente, non possunt non pro nullis & quasi numquam inita essent haberri. Qua de causa nec illis ad stipulari possum, qui putant, quod conditione pendente ne quidem eo cum effectu alia sponsalia pure contrahi possint, quo sponsalibus conditionatis ob cessantem conditionem deficien-

deficientibus pro validis habeantur, cum nihilominus talium sponsaliorum initium vitiosum sit, quod tractu temporis non possit convalescere. Sicuti enim nec hæc regula universaliter procedit, sed sèpius cessat, quando actus vitiosus ad talem statum pervenit a quo incipere poterat: ita constantissime nego, quod ejusmodi sponsaliorum initium vitiosum sit. Nam posito, non tamen penitus concessò, quod sponsalia post alia contracta nulla sint, ubi ob defectum sponsaliorum conditionatorum nulla unquam præcessisse intelliguntur, ibi sponsalia interim pure contrata ne quidem pro posterioribus haberi possunt.

§. XXXI.

Cum sèpius contingat, ut quis nonsolum pluribus fidem de matrimonio det, verum etiam cum singulis concubat, jam supra monui, quod sine distinctione sponsaliorum concurrentium præferentia ex concubitus prioritate dijudicanda sit. Quodsi vero alia sponsalia per concubitu*sponsalia concubitu fij-*
mata priora preferenda sunt sponsali-
bus posterioribus esti ad hec copula sacerdotalis acceſſerit.
tum, alia per benedictionem sacerdotalem sint consummata, hæc præferenda esse censem, propterea, quod sponsa per benedictionem sacerdotalem tanquam traditionem publicam potius jus adepta sit, ipsique in foro humano nihil imputari possit, eo quod omnia fecit qua facere potuit; deflorata vero sibi imputare debeat, quod contra leges civiles ante nuptias solennes concubuerit, nec vero conjugi legitime traditæ jus per legem civilem semel quasitum facto alterius illico auferri possit; nisi quod stupratam præferendam esse concedant, siquidem copulata per benedictionem sacerdotalem in fraudem deflorata egerit. vid. BODIN. *in differt. de concubitis. anticipar. §. 16.* Etsi quoque habita

potissimum honestatis publicæ ratione, aliisque incommodis, quæ ex dissolutione matrimonii publice contracti resultant, consideratis, ista sententia satis æqua videri possit: mihi tamen in puncto juris non probatur. Etenim cum inter sponsam priorem defloratam atque sponsum jam verum conjugium adsit, adeoque posteriori sponsæ non demum jus aliquod multo minus fortius per copulam sacerdotalem quæri potuerit, nec video, quid ad rem faciat quod sponsæ publice tradita nihil imputari possit. Exinde enim nullum jus querere potuit, nec adeo jure queritur, quod ipsi jus semel quæsิตum facto alterius illicito auferatur. Sane si concedere velimus, quod publica traditio quæ in copula sacerdotali sit tantæ efficacie sit, ut matrimonium ita contractum subsistat, concedendum quoque est quod hac ratione prius matrimonium dissolvatur. Sicuti vero talem matrimonii dissolvendi causam justam non agnosco: ita profecto sponsa posteriori aliud remedium superesse non potest, quam ut talis modi deceptorem ad interesse præstandum compellat atque injuriam sibi illatam vindicet, ceteroquin vero priori sponsa cedat. Cui ipsi ne quidem objici poterit, quod sibi imputare debeat, quod contra leges civiles ante nuptias solennes concubuerit, quam ne quidem in hujus potestate sit, matrimonium semel subsistens suo facto derimere. Quam sententiam ipsum Jus Caponicum confirmat, c. 3. X. d. sponsal.

§. XXXII.

*Sponsalia pro lubitu contrahentium dif-
fici possunt.*

Ex dogmate, quo sponsalibus vinculum conjugale trahitur, novus error enatus est, quo plerique defendant quod sponsalia pro lubitu contrahentium dissolvi non possint, verum

rum quod justa dissensus causa intervenire debeat. Optantur enim, quod sponsalia eandem obligandi vim habeant, quam matrimonium, cum per ea declaretur consensus conjugalis; quod sponsalia jam sint matrimonium initiatum, adeoque obligatio sponsalitatis non minus sit Juris divini atque ipsum conjugium; cumque ex tali conventione non tantum pacientibus sed insimil ipsi Deo Jus quæsumum sit, huic illos pro lubitu renuntiare non posse. Quibus argumentis postmodum alia partim in prioribus rationibus fundata, partim ab honestatis & utilitatis publicæ ratione desumpta adjiciunt. conf. Dn. STR YCK. d. *Diss. sponsal. Sect. III.* §. 9. seqq. Sicuti vero B. LUTHERUS libell. von Ehe-Sachen Tom. VI. Viteberg. f. 257. dicit: *Die Ehe ist ein Weltlich Ding*, adeoque errorem illum de spiritualitate matrimonii nec non sacramento quod Pontificii fingunt diu excludit, ut ut utique lex divina de conjugio disponens sancte servanda sit: ita omnes prædictæ rationes, quæ pro exclusione penitentia mutua adducuntur, ita comparatae sunt, ut falsis principiis ubique insitantur. Falsum enim est, quod sponsalibus contractis jam adsit consensus conjugalis, quippe qui non prius, quam societatem conjugalem ineundo declaratur; cumque sponsalia non nisi conventione sint de vinculo conjugali contrahendo, minime vero ipsum vinculum conjugale inferant, neque pro matrimonio initiato recte venditantur, nec foedus Dei & quasi ex hoc divino Numini jus quæsumum sit, recte vocari possunt, multo minus vinculum indissolubilitatis, quod conjugio adjectum reperitur, de sponsalibus prædicandum erit. Potius, cum nulla juris divini sanctio doceri possit, quod homo magis ad fidem sponsaliorum, quam alterius pacti honesti arduique

con-

*rationes dubi-
tandi.*

*rationes deci-
dendi.*

constringatur, sponsalia nullum aliud vinculum inducunt, quam vinculum conventionis, quod non magis stringere potest, quam alia conventio quæ suam obligandi efficaciam ex sola partium pacientium voluntate habet. Quum ergo nihil tam naturale sit, quam ut eodem modo quid solvatur, quo colligatum est, adeoque contractus mutuo consensu initi mutuo dissensu solvantur, nullum impedimentum superest, cur non æque personæ despontata bona gratia et si nulla gravis causa adsit discedere possint, nec invitæ ad matrimonii consummationem compelli debeat. Qua in re consentit Jus Civile l. 2. l. 3. l. 10. de divort. haud invito Jure Canonico per textum notabilem. c. 2. X. d. sponsal. quem Dissidentes ad sponsalia de futuro restringunt, adeoque item distinctionem inter sponsalia de præsenti & de futuro ad nostra sponsalia sinistre applicant. Nec tamen diffiteor, quod Princeps pie agat, si despontatos privato ausu discedere non finat, sed ad honestatem publicam conservandam & scandalum eo magis evitandum illos ad judicem ecclesiasticum adeundum, & ab hoc dissolutionem sponsaliorum causa cognita impetrandam obstringat, cujusmodi procedendi modus ubivis fere locorum speciatimque in nostris terris observari debet. conf. Ill. de BERGER. El. Proc. matrim. ib. 42.

§. XXXIII.

*Sponsalibus
non potest pro
tubitu renun-
ciari, altera
parte repu-
gnante.*

Utique fortius ligat sponsalitatem obligatio, si alter de sponsatorum in dissolutionem sponsaliorum consentire nolit, cum fides semel data servanda sit, nec amplius tanta repudiorum licentia despontatis competit, de qua consulas l. 2. §. 2. d. divort. conf. l. 1. C. d. sponsal. Minus apte quoque ex Jure Civili ratio dubitandi ab obligationibus faciendi desumitur,

mitur, quod, cum nemo alias ad factum præcisè præstandum compelli possit sed præstanto intereste liberetur, l. 13. §. 1. de Re judic. l. 68. l. 112. §. 1. l. 114. d. V. O. nec adeo sponsus sponsave ad matrimonium consummandum cogi possint, partim quia jus rerum cum jure personarum confundi nequit, partim quia Jure Civili in decidendis causis matrimonialibus non semper utimur. Dantur tamen plures causæ *sed tantum ob graves causas.* iunctante licet, resolvi possunt, quæ regulæ generali includi solent, quod scilicet toties repudio locus sit, quoties post sponsalia contracta ejusmodi incommodum supervenit, quod si antea prævisum fuisset alterum a sponsalibus deterruisset, cuius rei dijudicatio prudentis Judicis arbitrio relinquatur. Quin licet pars refractaria & sine justa causa consummationem matrimonii renuens justis mediis, quæ vulgari stylo in Consistoriis gradus admonitionum appellantur, putata mulcta, carcere, relegatione similiue poena, ad matrimonium consummandum compelli soleat, quodsi tamen nec hoc pacto ad frugem reduci possit, cum absolutæ coactio-nes frequenter difficiles soleant habere exitus, c. 17. X. d. *alioquin ju-
nis mediis
ad matrimo-
nium consum-
mandum co-
gitur.*

sponsal. ex æquiori sententia nec tum violenta copulatio infinititur, verum sponsalibus dissolutis pars refractaria ad interesses & satisfactionem ob injuriam illatam parti innocentii præstandam adigitur atque ex Provincia relegatur. CARPZ. Lib. II. def. 134. Mev. P. VI. Dec. 358. quamvis hoc ultimum perpetuum non sit, sed aliquando vel in totum vel ad tempus, pro circumstantiarum varietate, novum interdicitur matrimonium.

§. XXXIV.

Quicquid fit, neque bona gratia partes discedere posse *sponsalia con-
cubit firmæ.*

G

50 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

*te non possunt
dissolvi.*

*nisi ob causas
ob quas matri-
monium diri-
mitur.*

*Non ergo ex
arbitrio Judi-
cis ob inimici-
tiam irrecon-
ciliabilem.*

funt, nec ob causam quæ alias in dissolvendis sponsalibus justa reputatur repudium recte conceditur, si sponsalia copula carnalis corroboraverit. Nam quia sic revera non de sponsalibus consummandis, sed de matrimonio jam consummato continuando quæstio est, nulla alia causa justa videbitur, ob quam partes separari possint, quam ob quas vel matrimonium pro nullo declarari, vel quoque semel subsistens dirimi potest, veluti ob adulterium vel malitiosam desertionem. Unde si talis causa non adsit, justa Consistoriorum praxis fert, ut tales personæ etiam invitæ copulentur. CARPZ. Lib. II. def. 135. n. 8. Et licet nec sic concors matrimonium inter illas restaretur, sed pars refractaria discedat atque cohabitationem conjugalem perpetuo deneget, ex capite malitiosæ desertionis tale matrimonium demum dissolvitur. Hinc minus solidu[m] Juris fundamento inniti videtur Responsum, quod adducit Dn. WERNH. Part. III. Obs. 41. quo ipso asteritur, quod aliquando etiam sponsalia concubitu firmata arbitrio Judicis ob inimicitiam irreconciliabilem dissolvi possint. Nec rationes adductæ id evincent. Polito enim, sed non concessio, quod moribus nostris benedictio ecclesiastica sit requisitum essentiale matrimonii: tamen ita matrimonium non in sensu juris divini sed statutarii consideratur, quum tamen matrimonium in sensu juris divini verum atque perfectum esse possit, et si secundum jus statutarium non legitimum sit. Hinc si quoque secundum leges nostras ecclesiasticas consensus matrimonialis demum in hieologia declarandus sit, nec ante eam pro matrimoniali habeatur: tamen hæc omnia tantum conceptum matrimonii solennis & jure nostro probati, quatenus deinde omnes matrimonii legitimi effectus civiles sequi debent, respiciunt,

inde

ANTE COPULAM SACERDOTALEM.

§1

inde vero non sequitur, quod non æque consensus matrimonialis, in quantum hic jure divino pro perfecto habendus est, ante copulam sacerdotalem intervenire possit. Quumque hic non de effectu civili matrimonii, sed forma ipsius a summo Numine præscripta solliciti simus, quæ in eo consistit, quod matrimonium perfectum ob irreconciliabilem inimicitiam dissolvi non possit, non video, quomodo Judex salva conscientia sponsalia concubitu firmata, tanquam verum & indissoluble matrimonium quoad Juris divini placita, ex causa hac Jure divino non adprobata dissolvere possit, ubi indissolubilitas matrimonii non demum inventum Juris humani, sed ab ipso Deo introducta est. Ut taceam, quod Judex nunquam scire possit, quod prætensa inimicitia irreconciliabilis futura sit, nec de interno hominis affectu, ad instar summi Numinis quod tantum corda hominum perscrutari novit, judicare valeat, sed sæpius contingat, ut inimicitia maxima appareat, quæ tamen in rei veritate est affectata, & licet vera sit, tamen præter omnem spem atque opinionem postea, quam partes invita semel sunt copulatae, in verum amorem conjugalem degenerat. Judici non prius de inimicitia irreconciliabili quoad signa externa perfecte constare potest, quam si omnia media adhibuerit, quæ humanæ potestati relicta sunt ad refractariam conjugem coercendam. Et licet naturaliter matrimonium ante copulam sacerdotalem perfectum etiam hac non secuta ex capite malitiosa desertionis commode dissolvi possit, tamen cum partis innocentis interesse possit, copulam sacerdotalem adhiberi, hanc si modo haberri queat, ad partem refractariam eo magis coercendam & ne Judici negligenter aliqua impunita videatur, nunquam omittendam esse censeo.

G 2

§. XXXV.

§. XXXV.

Et si porro urgeas, quod matrimonia clandestina saltim
 respectu habito ad statum civilem, qui copulam sacerdota-
 lem ad consummationem matrimonii requirit, ipso jure di-
 nulla non æque vino pro nullis habenda sint, egregie falleris. Non nego, quod
matrimonia clandestina jure statutario nulla non æque vino pro nullis habenda sint, egregie falleris.
Jure Divino nulla sunt.
 Jus naturæ & divinum positivum permittat, ut legislator hu-
 manus negotiis hominum utilitate publica id exigente cer-
 tam formam præferibere possit, qua forma non observata
 negotium nullum esse debeat, quodque ex hoc fundamento,
 quo Deus imperantibus obediendum esse præcipit, voluntati
 humani legislatoris standum sit & negotium ex hujus mente
 nullum etiam in foro poli nullum dici possit. Verum hoc
 saltim de iis negotiis quorum definitionem ac formam sum-
 mum Numen arbitrio humano reliquit intelligendum est.
 Quantum ad negotium conjugale, sicuti hoc institutum di-
 vinum est, ita quoque a Deo certa forma huic negotio indita
 est. Quo magis itaque Divinum Numen exactam hujus
 negotii definitionem sibi vindicavit, eo magis hominis arbitrii
 excludere voluisse intelligendum est. Et sicuti Princeps
 formæ internæ conjugii nihil detrahere potest: ita nec
 formam aliquam externam addere, quo hac neglecta ipsum
 conjugium omnino cesseret. Potest quidem Princeps aliquid,
 quod Jure Divino definitum non est, definire atque statue-
 re, minime vero legem divinam tollere. Ubi legislator di-
 vinus conjugio vinculum indissolubile adjecit, nunquam re-
 spexit conjugium secundum solennitates juris humani con-
 tractum, sed quod secundum divinam institutionem ita di-
 cendum erat, ut ut lex de indissolubilitate vinculi conjugalis
 in Novo Testamento, ubi commode ad statum civilem re-
 spici potuisset, repetita fuerit. Quo minus ergo Princeps
 huic

huic legi derogare potest, eo minus quoque conjugium nullum dicere potest, cuius forma interna secundum Juris Divini placita salva & integra appetet. Quodsi hoc directe facere nequit, nec potest facere per indirectum aliam formam externam addendo, ita, ut hac non servata etiam interna conjugii forma cessare debeat. Inquis, quod dispositio humana, qua in contrahendo matrimonio benedictio sacerdotalis desideratur, e contrario vero matrimonia clandestina pro nullis declarantur, in utilitate publica se funder, quæ cum supralex lex sit, necessum esse, ut alii legi naturæ vel divinæ derogare possit. Verum quidem est, si duo præcepta juris naturæ vel divini concurrant utraque vero servari non possint, quod tum minus forte fortiori cedere debeat. Sed non video, cur hæc duo præcepta, *salus Reipublicæ suprema lex esto*, &, *matrimonium sine prævia copula sacerdotali contractum tanquam verum atque perfectum matrimonium non irritandum est*, simul stare non possint. Satis enim consulitur utilitati Reipublicæ, si matrimonia clandestina non tolerantur sed subditi ad benedictionem sacerdotalem adhibendam sub gravi poena constringuntur, unde tamen non sequitur, quod etiam nullitatis poena obtinere debeat. Deinde lubentissime concedo, quod justissime legibus humanis necessitas adhibendi copulam sacerdotalem imperata, imo etiam poena nullitatis in matrimonio clam & sine eadem inita statuta sit, quodque subditi hujusmodi legibus non obtemperantes in conscientia atque sic contra ipsum Deum jubentem, quod præcepto superioris obediendum sit, peccent, minime vero concedere possum, quod poena nullitatis in lege humana contenta ultra effectus civiles legitimi matrimonii fere extendat, & quod matrimonium clandestinum etiam quoad effectus naturales pro nullo haberi debeat.

G 3

§. XXXVI.

§. XXXVI.

An sponsalia concubitu firmata matrimonium legitimam vocari possint?

an solennis in domum deductio fuerit requisitum essentiale matrimonii apud Romanos?

Respondetur ad rationes affirmantium.

Hactenus satis demonstratum dedimus, quomodo sponsalia concubitu firmata sint verum atque perfectum matrimonium; Alia quæstio est, an etiam legitimum venditari possint, ita, ut reliqui effectus civiles de hoc matrimonio pariter prædicari debeant. Quodsi de Jure Iustianeo queratur, videndum an solennis apud Romanos usitata in domum deductio essentiale requisitum justi matrimonii apud ipsos fuerit. De Jure digestorum & Codicis hoc affirmandum videtur ob l. 5. d. R. N. l. 15. de Condit. & demonstr. l. 6. C. d. donat. ant. nupt. l. 24. C. de Nupt. quibus textibus, quando de effectu Juris quæstio est, respicitur ad nuptias domum ductione factas, atque hæc sententia eō magis sese commendat SCHILTERO Ex. 36. §. 58. exinde, quia Jus Civile solennitatibus abundat. Sicuti vero non sequitur, Jus abundant solennitatibus, ergo solennitas in negotio alias usitata, quæ obiter in lege adducitur, tanquam forma istius negotii adducta censenda: ita quoque allegati textus ita comparati non sunt, ut regulam exinde formare liceat, pertinuisse in domum deductionem ad matrimonii legitimi essentiam. Disponunt leges de casibus, qui ut plurimum accidere solent, ut tamen casus extraordinarii non excludantur. Sic nuptiae apud Romanos ut plurimum quidem solenniter per in domum ductionem contrahi solebant, interim tamen etiam nuptiae extraordinariae & tumultuarie, quæ hujusmodi solennitate neglecta contrahebantur, notæ erant. vid. l. 24. d. R. N. l. 13. §. 6. ad L. Jul. d. adult. l. 31. pr. d. Donat. l. 22. C. de Nupt. Sicuti ergo rerum denominaciones a qualitate earum ordinaria, et si hæc salva essentia abesse possit, originem suam sèpius deducunt: ita

τὸ sponsam in domum sponsi deducere terminus vulgaris factus est, quo ipso ex populari usū loquendi τὸ matrimonium contrahere indigitatum est, et si in ipso matrimonio contrahendo solennis deductio ne quidem adhibita fuerit. Hinc quando deductioni ille effectus juris tribuitur, si aliqui quid sub conditione, si nupsérunt, vel promissum vel legatum sit, quod conditio non nisi facta ductione existere intelligatur, vid. l. 24. C. d. Nupt. l. 15. d. C. & D. non pertinendum, quasi conditione nūquā aliter existat, quam si mediante ductione nuptiarum celebrentur, quodque adeo relictum vel promissum illa neglecta peti non possit. Etsi enim legislator & Ictus hic potissimum co respexerint, ut terminum certum determinarent, quo talismodi conditio pro existente haberi posset: tamen ubi saltim ad nuptias ordinarias respexerint, non sequitur, quod subinde extraordinarias excludere voluerint. Quin cogitare poterant, quodsi semel determinatum sit, quando in nuptiis ordinariis terminus existentis conditionis existeret, jam facilius adhuc cogitum fore, si partes extraordinarie & tumultuarie non adhibitis solennitatibus ipso actu congresse sint atque cohabitare incepert, quod tum conditio nuptiarum extiterit. Finis legis iste tantum fuisse videtur, quo certitudo aliqua adeset sola sponsalia non sufficere ad conditionis existentiam, nec tamen praeceps ad hanc concubitum necessarium esse, verum quod etiam ante illum sola deductione facta nuptiae pro contractis habendasint, quod haud obscure indicat l. 15. d. C. & D. Etsi vero urgeas, quod hic effectus tantum deductioni tributus sit, quodque matrimonio sine eo inito conditio nuptiarum nūquā extitisse censi posset, nec tamen sequitur, quod hoc similive effectu

Juris

56 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

Juris deductioni tributo, eadem generaliter pro requisito essentiali matrimonii habita fuerit, cum a particulari ad universale non valeat consequentia. Potuerunt jura consensui matrimoniali solemniter per deductionem declarato, propterea quod notorietate sustineatur, hunc effectum tantum tribuere, ut tamen validitati privati matrimonii ceteroquin nihil sit derogatum.

§. XXXVII.

Respondetur
ad l. 6. C. d.
donat. ant.
Nupt.

Ex dictis facilis responsio est ad l. 6. C. d. *Donat. ant.* *Nupt.* ubi Imperator Aurelianus per ~~re~~ in domo sponsi esse, nihil amplius indigitare vult, quam societatem conjugalem a personis desponsatis jam esse initam, cum hoc non facilius intelligatur, quam si sponsa cum sponso cohabitaret atque in domo ipsius existiret. Neque tamen ex hoc textu colligere licet, quod Imperator supponat solennem sponsa in domum sponsi deductionem factam fuisse. Quin, quod vocabulo deductionis non adeo stricte inharrere liceat, sed potius illud pro materia substrata accipendum sit, abunde docet Scyzola in l. 66. §. 1. d. *donat. int. vir. & uxor.* ubi sponsa ante nuptias deducta dicitur, atque nihilominus donatio ipsi post hanc deductionem facta valida pronunciatur, quæ ipsa, siquidem sponsa jam pro uxore habenda fuisset, irrita dici debuisset. Verba ita se habent: *Virgini in horotos deductæ ante diem tertium, quamibi nuptie fierent, quum in separata diæta ab eo esset, die nuptiarum priusquam ad eum transiret, & priusquam aqua & igni acciperetur, id est, nuptie celebrarentur, obtulit decem aureos dono: Quesitum est, post nuptias contractas divortio factio, an summa donata repeti possit?* Respondit id, quod ante nuptias donatum propernetur, non posse de dote deduci. Scilicet antiquitus moris fuit,

fuit, ut sponsa apud sponsum commoraretur, *can. 42. caus. explicatur!*
27. Qu. 2. Hinc aliquando duplex deductio sponsa apud *66. d. Donat.*
 Romanos contigit. Alia nuptias precedens & quasi præ-
 paratoria erat, ubi sponsa in hortos vel aedes futuri mariti
 deducebatur non ut mox uxor fieret, sed ut in horto vel aedi-
 bus tanquam hospes commoraretur, atque adhuc sponsa
 maneret. Alia deductio erat, quando sponsa ad sponsum in
 hujus habitationem transibat, & ab ipso tanquam uxor, alio
 nuptiarum ritu v.g. aqua & igne interveniente, ducebatur
 & adeo cum ipso habitare incipiebat, qua ductione facta
 foemina jus uxorius & vir jus mariti conseqüebatur. Cate-
 roquin vero *ex proem. d. l. 66.* alias difficillimæ non obscure
 probatur, quod ad essentiam matrimonii legitimi nihil am-
 plius pertinuerit quam consensus contrahentium. Est enim
 sequentis tenoris: *Seja Sempronio cum certa die nuptura es-*
fet, antequam domum deduceretur, tabuleque dotis signaren-
tur, donavit tot aureos. Quero an ea donatio rata sit? non
attinuisse tempus, an, antequam domum deduceretur, donatio
facta esset, aut tabularum signatarum, que plerumque &
post contractum matrimonium fierent, in querendo exprimi.
Itaque nisi ante matrimonium contractum, quod consensu in-
telligitur donatio facta esset, non valere. Supponendus hic
 est ille causus, quo consensus matrimonialis deductionem &
 reliquas solennitates in contrahendo matrimonio solitas
 præcessit. Etsi itaque donatio ante deductionem facta fuisset,
 si tamen consensus conjugalis declarationem jam ante
 factam, qua ipsa verum ac legitimum matrimonium contra-
 hitur, insecura sit, dicit JCrus nihil referre, quod donatio an-
 te deductionem facta dicatur, sed attendendum, an illa ante
 matrimonium solo consensu contractum facta sit. Interim

58 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

licet Dissentientes prædictam §. i. d. l. explicationem arripere atque proemium cum §. i. mo d. l. in sui favorem ita conciliare velint, quod in pr. pariter saltim de illa deductione, quam nos nuptiarum præparatoriam vocavimus, sermo sit, & cum nihil referat an donatio post illam deductionem facta sit, si modo secundam deductionem matrimonii, ut ita loquar, constitutivam cum consensu matrimoniali conjunctam præcesserit, quod donatio tum valida pronuncietur, quodque adeo pro nobis nihil certi ex isto pr. deduci possit: tamen ita in subsequente §. i. nihil novi sed unum idemque dictum fuisse, atque nobis sufficere poterit, quod tantum consensus matrimonialis tanquam requisitum essentiale matrimonii in verbis finalibus d. pr. adducatur, nulla de deductione, quasi hac mediante iste consensus declarandus sit, mentione facta.

§. XXXVIII.

Respondetur ad l. 5. d. R. N. Sententiam dissentientium potissimum probare videatur l. 5. d. R. N. ubi expresse asseritur, quod mulier marito absenti aliter nubere non possit, quam si in domum ejus educatur. Nec mihi improbatum videtur, quod olim hoc casu deductio ad matrimonii constitutionem apud Romanos necessaria fuerit. Non quidem ob id, quasi hæc nunquam omitti potuerit, sed quod tamen in casu mariti absensis aliter de consensi conjugali contrahentium tutius non constare, nec consensum matrimoniale a sponsalito distinguere licuerit. Quum enim maritus absens esset, ad eoque fortior, quod omnia bona fide peragerentur, conjectura desideraretur, insimil utile esset, quo mox in aliorum notitiam veniret hanc esse factam istius viri uxorem, potissimum publica conjugii declaratio, qua ad instar aliorum actuum

actuum publicorum majorem præsumptionem omnis fraudis expertem pro se habere posset, tali casu ad matrimonii probationem & substantiam requisita esse viderur. Quod vero solennis deducatio ad substantiam matrimonii cum absente contracti pertineat, inde minus recte infertur, quod ea ad substantiam matrimonii in genere pertinuerit. Potius hæc exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

§. XXXIX.

Regula est, quod ad matrimonii essentiam nihil amplius desideretur quam consensus conjugalis declaratio, nec tamen hæc mediante deductione præcisè expedienda fuerit. Ubi nobis sufficere posset, quod a dissentientibus probari non possit, fuisse deductionem requisitum essentiale matrimonii apud Romanos. Sed & contrarii probatio non deficit. Hanc enim non solum mox ante ex l. 66. p^r. d. donat. int. Vir. & uxor. suppeditavimus, sed eo quoque pertinent l. 15. d. C. & D. l. 30. d. R. J. l. 4. d. pignor. l. 4. d. fid. Instrum. quibus textibus solo consensu matrimonium perfici dicitur. Præterea notari meretur, l. 22. C. de Nupt. qua adeo clara est, ut omni controversia finem imponat verbis sequentibus: *Si donationum ante nuptias vel dotis instrumenta defuerint, pompa etiam aliaque Nuptiarum celebritas omittatur, nullus ob id existimet, deesse recte alias initio matrimonio firmitatem, vel ex eo natis iura posse legitimorum auferri inter pares honestate personas, nulla lege impediente consortium quod ipsorum consensu atque amicorum fide firmatum, conf. Dn. HUBER. Digress. P. II. Lib. I. Cap. 11. 12. § 13.* qui nostram sententiam latius propugnat, atque dissentienti Hotomanno paulo aliter respondet.

H 2

§. XL

*Probatus,
quod in do-
mum duatio
non fuerit
requisitum es-
sentiale matri-
monii.*

60 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

§. XL.

*Quod Jure
Novo minus
dubii habet.*

Quiequid sit, verba finalia d. l. 22. C. d. *Nupt.* matrimonio nostro clam & per concubitum contracto, cum hoc non sit amicorum fide firmatum, multum adhuc derogare videntur. Quamvis vero non deficiant, quæ ad hoc dubium regeri possint, cum tamen Jure novo omne dubium sublatum deprehendam, potius exinde paucæ adhuc adducenda erunt. Diversa jura hic diversis temporibus sancta fuerunt. Licet enim Nov. 22. c. 3. jam constitutum fuerit, ut nuptiæ ex solo affectu sine alia solennitate contrahi possent, maxime tamen hoc immutatum legitur in Nov. 74. Cap. 4. donec Nov. 17. c. 4. iterum comprobatum sit quod omnes præter eos, qui maximis dignitatibus decorati erant, possint vel cum dotalibus instrumentis vel citra instrumenta ex solo affectu uxores ducere. Cumque in sponsalibus concubitu firmatis affectus conjugalis abunde demonstretur, non dubito asserere, quod hujusmodi matrimonium nomen veri ac legitimi secundum Jus Civile mereatur, ut taceam, quod casus fere in terminis decisus videatur in dict. Nov. 74. c. 5. Unde cum parentes pro legitimis conjugibus habendi sint, ita quoque liberos legitimos ex tali conjugatione nasci oportet, si modo aliud vitium intrinsecum hujus conjugationis legitimati non obstat.

§. XLI.

*An copula sa-
cerdotalis sit
de essentia ma-
trimonii?*

Quum vero longe alias modus in matrimonio contrahendo moribus nostris frequentetur, introducta benedictione sacerdotali, dicta a nobis parum utilitatis habere videbuntur. Videndum ergo an copula sacerdotalis requisitum essentiale matrimonii dicendum sit. Evidem Jus Canonicum anxie

anxie illam requirit in ineundis nuptiis c. 2. *Caus. 30. qu. 5.* verum tamen prater consensum nihil refert ad formam conjugii c. 2. *Caus. 27. qu. 2. c. 14.* *X. de sponsal.* ibi: matrimonium solo consensu contrahitur. c. 23. eod. ibi: sufficiat solus eorum consensus de quorum quarumque conjunctionibus agitur. Et adeoque sponsalia ad quae concubitus accessit pro vero matrimonio habet c. 15. *X. eod.* quin liberos ex tali matrimonio susceptos legitimos pronunciat. c. 9. *X. qui fil. sint legit.* c. 12. eod. ibi: quia tamen despousatio per testes legitimos comprobata, ut hinc de aliis effectibus justi matrimonii secundum hujus juris dispositionem dubitare non licet. Quia vero Concilium Tridentinum *Seff. 24. c. 1.* ibi. *hujusmodi contractus irritos esse decernit* Et. matrimonium clandestinum, seu quod aliter contrahitur quam prævia tria proclamatione coram Parocho & testibus seu in facie ecclesiæ accidente benedictione, non saltim prohibet, sed penitus nullum ac irrum pronunciar, hinc in terris Pontificiorum in quibus istud concilium receptum est, hodie non potest non contrarium obtinere, ita, ut nec liberi pro legitimis habeantur, nec alii hujus matrimonii sequantur effectus civiles.

quod Iure Canonicco probari nequit.

Attamen quæstio affirmativa decidenda est in terris Pontificiorum ob Concil. Trident.

§. XLII.

Econtrario in terris protestantium ignoratur Concilium Tridentinum, ut ut alias Doctores nostri Juris Canonici dispositionem in causis matrimonialibus studiose sequi soleant. Quumque necessitas adhibendi benedictionem sacerdotalem ex Jure Canonico in nostras Ordinationes Ecclesiasticas translata sit, Jus Canonicum vero secundum ea, quæ predixi, hanc solennitatem ad formam matrimonii non requirat, putarem, quod in dubio presumendum sit, esse benedictionem

In terris protestantium benedictio sacerdotalis non majori necessitate intrudenda presumenda est, quam

62 DE CONCUBITU MATRIMONII PERFECTIONE

eam requisivit nem sacerdotalem non majori necessitate, nec tanquam re-
Jus Canoni- quisitum essentiale matrimonii in terris protestantium intro-
cum. ductam. Etsi enim sub poena imperata videatur, nondum
tamen exinde sequi existimaverim, quod tanquam forma
negotii matrimonialis praescripta sit, cum aliud sit solennitate
aliquam observandam jubere sub lege pœnae & longe
aliud sub lege nullitatis. Quamdiu ergo solennitas benedi-
ctionis Ecclesiastica saltim sub lege pœnae imperata videtur,
tam diu non præsumendum, quod etiam sub lege nullitatis
imperata sit, quum sic duo odiosa circa eandem rem concur-
ferent, ubi utraque præsumere ratio Juris non patitur. Ne-
que est, quod dicas; si quid pro forma negotii praescriptum
est, tunc certo certius est, quod forma non observata ipsum
negotium corruere debeat, adeoque cum jam non demum
in terminis præsumptionis alicujus sed rei veritatis versemur,
minus apte argumentum ex materia de præsumtionibus pe-
titur. Etenim id ipsum in lice est, quodque nos negamus,
esse scilicet benedictionem ecclesiasticam pro forma negotii
matrimonialis praescriptam. Non prius tanquam forma pra-
escripta dici potest, quam si sub lege nullitatis praescripta vi-
deatur, id quod tamen exin minime colligere licet, siquidem
sub lege pœnae imperata sit. Unde subfumo, quod in
iis terris, ubi copula sacerdotalis absolute & sub poena nulli-
tatis in matrimonio contrahendo observanda jubetur, effec-
tus civiles in matrimonio clam contracto cesserent, sed non
æque in iis terris, ubi hæc solennitas tantum sub poena in-
juncta legitur. Verum tali casu opus est, ut liberi ex clan-
destino matrimonio procreati pro legitimis habeantur, nec
tantum quoad successionem civilem, sed etiam statutariam,
secus ac distinguit Dn. STRYCK ad BRUNNEM. Jus
Eccles.

nisi sub poena
nullitatis in
matrimonio
contrahendo
praescripta vi-
deatur.

ceteroquin
matrimonium
clandestinum
legitimum di-
cendum &

Eccles. Lib. II. c. 16. §. 6. verb. succedit ut legitimus. Sup-
posito enim quod hic loci matrimonium legitimum adsit,
unde liberi legitimi nati sunt, non possunt non etiam quoad
statutum pro legitimis haberi. At enim vero, si per statu-
tum copula sacerdotalis ad formam conjugii requiratur, cum
sic liberi ex matrimonio clandestino nati pro illegitimis ha-
beantur, non magis successionis civilis, atque statutaræ ca-
paces esse poterunt, cum illa quoque successio quæ alias per
leges civiles defertur, tamen, ubi haec in loco aliquo receptæ
sunt, non tanquam ex legibus civilibus sed legibus hujus loci
deferatur, nec adeo aliis heredibus quam secundum con-
suetudinem hujus loci legitimis.

§. XLIII.

In Saxonia nostra Electorali per *Decis. El. Nov. 49.* di-
stinctione opus est. Aut enim concubitus accessit ad spon-
salia publica, aut ad sponsalia clandestina. Priori casu tale
matrimonium legitimum habetur, ubi liberi ex tali ample-
xu suscepti pro legitimis declarantur, qui adeo non solum
successionis civilis, sed & statutaræ capaces sint necesse est.
In Saxon. El.
distinguendum an concubitus ad sponsalia publica an clandes-
tina accessit.
Posteriori casu vero conjunctio talis penitus improbatur &
pro illegitima habetur, ut nec liberi pro legitimis habeantur,
iisque non tantum statutaria successionis sed & civilis
incapaces sint. Verba dict. *Decis.* ita sonant. Hierinnen
nun auf etwas gewisses zu schließen, so ordnen wir, daß
hinsichtlich in diesem Fall unter den öffentlichen und heim-
lichen Zusagen und Verlobnissen ein Unterschied gehal-
ten werden soll, und zwar dergestalt, da jene oder die
öffentliche an ihnen selbst richtig und erweislich seyn, auch
sich kein erhebliches Hinderniß oder vitium intrinsecum
dabey

NE
m re-
intro-
ndum
forma
initia-
longe
nedi-
detur,
litatis
ncur-
. Ne-
ptum
ipsum
emum
emur,
us pe-
amus,
egottii
præ-
ta vi-
fiqui-
od in
nulli-
, effe-
d non
na in-
clan-
, nec
ariam,
Jus
Eccl.

dabey befindet, daß die hernacher vor der Trauung erzeugte Kinder als ehrlich und rechte Erben zu der Eltern Erbe und Verlassenschaft auf begebende Fälle zugelassen, die Eltern aber nichts destoweniger wegen ihrer Begünstigung nach Innhalt der Ehe- und Kirchen-Ordnung bestraffet werden sollen; Wann aber heimliche Versprechungen und Verlöbniß, welche bey denen, so sich annoch in väterlicher Gewalt befinden, an ihnen selbst unbillig und unkrafftig, bey denen andern aber gleichfalls ganz ärgerlichen und unzulässlichen seyn, vorgegangen, und nach denenselben, jedoch ehe sie öffentlich wiederholset, oder die Priesterliche Copulation erfolget, Kinder erzeuget werden, sollen dieselbe Kraft dieser unsrer Decision, vor ehrliche Kinder nicht gehalten, noch zur väterlichen Erbschafft admittiret werden. Atque hæc Decisio subinde non leve argumentum suppeditare potest, quod benedictio sacerdotalis in nostris terris non sit requisitum esseentiale matrimonii.

T A N T U M.



suam
bonori

VIRO PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO
ATQVE CONSULTISSIMO
DOMINO
ABRAHAMO KIRSTEN,
REVERENDISSIMI CAPITVLI WVRCENSIS
SYNDICO,
PARENTI DOMINI RESPONDENTIS
OPTIMO
S. P. D.
P R A E S E S.



Vum nihil dulcissimum in humanis sit quam
gignere sibi similem tanquam extendere
sanguinem & habere quem post te relin-
quas, sane maxima voluptas non potest
non Optimos sequi parentes si quidem
in filiis, quibus p̄filiabus paternam
familiam conservandi facultas data est,
suam cognoscant effigiem. Sed opus est, ut filii sint bene morati
bonorum parentum vestigia studiose prementes; ut Republicae se-
natos

natos esse sentiant, vite generi quod eligunt sobrie addicdi. Quan-
to itaque gaudio officieris Tu, Vir Consultissime, ubi non solum aliis
liberis deslitus in hoc filio unice Tuam vides effigiem, verum et
iam ab omnibus felix depraedicaris, quod filius hic in studio Ju-
ris eligendo eoque per curriculum Academicum summa industria
exhauriendo Vestigijs Tais tantopere insit. Frequentatus Ipse
per præteritum semestre spatium æstivum lectiones meas ad Excel-
lentissimi DOMINI GRIBNERI Principia Processus meque
edocuit, quod non tantum in Juris theoria debitam navaverit ope-
ram, verum etiam in adplicando Jure ad factum eoque in Judicio
deducendo, practico uti judicio noverit. Sane in certaminibus Pro-
cessualibus, quæ tum inter quindecim Collegii membra cor. inuo-
cursu instituebantur, sive actoris sive rei sive actuarii vices susti-
nueret, masculum sese exhibuit mihiq[ue] spem fecit, fore, ut spes a
Sacratissimo Imperatore in §. fin. proœm. Instit. ipsi data felici-
simum sortiatur eventum. At enim vero non demum meo indiget
testimonia. Præsens dissertatio eruditio[n]is in Jure ipsi quesita
ejusque cum judicio practico conjuncte luculentum perhibet argu-
mentum. Gratulor inde Tibi de felicitate nostris temporibus
non adeo frequenti, id est, de filio bene morato, nihilque magis in
vois habeo, quam ut partes Reipublicæ, quibus gubernandis par-
est, ipsi propediem credantur, Tu vero natos natorum videoas.
Dabam Lipsie Mens. Febr. 1725.

Lipzj, Diss., 1725 A-0

ULB Halle
005 359 309

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



1725, 2^a 18.

DISSE^TRAT^O I^VRIDICA
DE
CONCVBITV MATRIMONII
PERFECTIONE ANTE COPVLAM
SACERDOTALEM,
QVAM
EX DECRETO ET AVTORITATE
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS
IN INCLYTA
LIPSIENSIVM ACADEMIA
P RÆSIDE
DN. IOH. GODOFREDO BAVERO,

I. V. D. ET PRACT.

D. XVI. FEBRVAR. MDCCXXV.

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI
SUBMITTIT

A. & R.

IOH. EHRENFRIED KIRSTEN,
WVRCENSIS.

LIPSIAE,
LITTERIS IMMANUELIS TITHI.

